62404/B

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

ELSNER, J.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

W5

https://archive.org/details/b30551031

JACOBI ELSNER

SCHEDIASMA CRITICUM

QVO

AUCTORES ALIAQVE ANTIQVITATIS MONVMENTA, INSCRIPTIONES ITEM ET NVMISMATA,

EMENDANTVR, VINDICANTVR ET EXPONVNTVR.

ON·MEDICAL SOCIETY O

Ad CONTINVATIONEM Tomi VII. Miſcellaneorum Regiæ Societatis Scientiarum Berolinenſis.

BEROLINI, typis J. G. MICHAELIS.
cIↃ IↃCC XLIV.

PRAEFATIO.

Cum ad accuratiorem & criticam Auctorum aliorumque vetuſtatis monumentorum lectionem me conferrem, ea potiſſimum mente & conſilio rem ſuſcepi, ut inde decerperem & colligerem, quæcunque ad exponendos & illuſtrandos ſacros Veteris ac Novi Foederis libros pertinere poſſe viderentur: id enim & perſona mea dignum, & excellentiſſimum, qui e profana lectione provenire poſſet, fructum eſſe cenſebam, eamque conſilii mei rationem editis duobus Obſervationum Sacrarum Tomis, *mox amplificandis, eruditorum orbi conſtare volui. Fieri tamen non poterat, quin auctores haud perfunctorie legenti & examinanti, plurima occurrerent, quæ & ipſis auctoribus & monumentis interpretandis, & notis doctisſimorum Virorum ſive confirmandis, ſive refellendis, egregie inſervitura viderentur: quæ tum licet in ſchedas conjicerem & notarem, tanti tamen non æſtimavi, ut in publicum aliquando proditura deſtinarem; utpote qui in latisſimum illum campum conſulto deſcendere nollem, atque uni Sacræ Scripturæ loco lucem vel attuliſſe, vel inductas tenebras difficultatesque diſpuliſſe, magnificentius arbitrarer, quam ſi ſexcentis Profanorum locis medicas manus adhibuiſſem, aut teterrimos nævos & maculas deterſiſſem. Poſtquam autem complures in ea ſententia inhærere vidi, quaſi is demum utriusque linguæ ſublimem*

)(*notitiam,*

notitiam, atque adeo omnis critices, doctrinæ, ingenii & judicii apicem contigiſſet, qui in auctoribus & vetuſtatis reliquiis vel edendis vel exponendis emendandisque ſingulari quodam ſtudio & ſucceſſu verſaretur; qua via & recto itinere Scaligeri, Salmaſii, Caſauboni, Gronovii, Grævii, Spanhemii, Bentleji ad ſummam famæ gloriam feliciter eſſent graſſati, & clariſſima nomina æternitati commendaſſent: cum Orientali etiam Regiæ Scientiarum Soc. Claſſi honorifica ſuffragatione præficerer, quæ ampliſſimo ſuo ambitu Litteras & Antiquitates Orientis, id eſt Hebræorum, Arabum, Syrorum, Perſarum, Aegyptiorum, Græcorum, Inſcriptiones item & Numiſmata, Humaniora denique ſtudia complectitur: faciendum putavi, ut Specimine aliquo publico oſtenderem, quam proclive ſit in critica Sacrarum Litterarum expoſitione verſatis, talia, ſi vellent, exponere & illuſtrare, doctorumque virorum, qui eo univerſas cogitationes & copias convertere, & in iis excutiendis perpoliendisque propemodum conſenuere, commentationes ad examen revocare, ita tamen, ut parta cuique laus illibata maneat & lubentisſimis meritisque ſuffragiis prædicetur. Ejus generis nonnulla, ut forte fortuna ſeſe obtulerunt, & facillimo elaborari opere poſſe videbantur, hic produco: pluribus immorari & ſchedas omnes excutere nec vacavit nec libuit, ne in majorem, quam inſtitueram, modum molemque Specimen excreſceret. Penes æquos & peritos harum rerum æſtimatores judicium eſto: ceterorum indoctas laudes æque atque vitioſas vituperationes ſerio & vehementer deprecor. Dabam Berolini Calendis Decembribus MDCCXLIII.

CAPUT I.

Lucianus emendatur in *Prometheus es in verbis*. Prometheus *Deus* & Κλέπτης. Lucianus vindicatur in *Hermotimo* contra Græyium. Κυματωγή. Idem vindicatur in *Zeuxi*. Πῆλος τέχνης. Emendatur de *Saltatione*. ὑποϱχεῖσθαι. Vindicatur Luciano τὸ ἀλιπαϱές. Ενδῦναι, *cedere*.

LUCIANUS *in tractatu, Prometheus es in verbis Tom. I. p. 18.* furti tamen ſcripta ſua accuſari poſſe negat, quemadmodum Prometheus furti, ſurrepti ſcilicet ignis coeleſtis, accuſatus eſſet: τὸ γὰϱ τῆς κλεπτικῆς, καὶ γὰϱ ΚΛΕΠΤΙΚΗΣ ὁ Θεός, ἄπαγε· τοῦτο μόνον οὐκ ἂν εἴποις ἐνεῖναι τοῖς ἡμετέϱοις. Loco κλεπτικῆς repetitæ, atque ex præcedenti, ut videtur (*) ortæ, ſcribendum apparet κλεπτὴς ὁ Θεός, atque Prometheus eſt intelli-

 gen-

(*) Cum diu hæc ſcripta eſſent, noviſſima Luciani editio affertur, in qua Clar. quoque Hemſterhuſio diſplicuiſſe repetitum illud κλεπτικῆς video, & κλεπτικὸς ſubſtituiſſe, quamvis nullo exemplo accommodatiorem hujus vocabuli ſignificationem eſſe docuerit.

gendus, de qvo hic ſermo. Nam ille quoque Deorum choro inſertus & Deus cenſebatur, quo honore ſe ipſe dignatur & appellat παλαιὸν θεὸν, in *cognomine Dialogo* p. 177. Ibidem p. 176. ὁμότεχνον ſeſe vocat *Mercurio*, qvod fur eſſet communi arte, cujus frequens itidem l. c. mentio occurrit. Mercurius etiam κλεπτὴς vocatur in Luciani *Gallo* p. 183. Ceterum Græviu recte diſtinxit poſt ἄπαγε. ita *Pseudologiſta* p. 449. ἐκεῖνο δὲ μηκέτι ἄπαγε. ib. τὸ δὲ μετ' ἡμέραν ἄπαγε.

LUCIANUS in *Hermotimo* p. 569. Æſopum in fabulis inducere hominem, ait, fluctus numerantem, ἄνθρωπόν τινα ἐπὶ τῇ ἠϊόνι καθεζόμενον ΕΠΙ ΤΗΝ ΚΥΜΑΤΩΘΗ, ἀριθμεῖν τὰ κύματα. Celeb. Grævius *in notis* p. 975. mendoſum locum animadvertit, cum ſecundum canones Grammaticos ſcribendum fuiſſet, ἐπὶ τῇ ἠϊόνι τῇ κυματωθεῖ, haud vero ἐπὶ τὴν κυματώθη, cum MStum ejus autem pro ἐπὶ τὴν κυματώθη ſcribat ἐπὶ τὴν κυματωγὴν, argumento eſſet, ἐπὶ τῇ ἠϊόνι gloſſam eſſe, cum indubie Lucianus ſcripſerit ἄνθρωπόν τινα ἐπὶ τὴν κυματωγὴν καθεζόμενον, *quendam in crepidine littoris conſediſſe, ut numeraret fluctus;* κυματωγὴ eſſet ἠϊὼν κυματωθὴς, *littus, quod fluctibus pulſatur.* ita Grævius. (*) Ego gloſſema hic non invenio. Κυματωγὴ non modo ſignificat *littus*, ſed etiam, & in primis quidem, *fluctuationem* æſtuantis maris, ut clariſſime patet e Luciani loco a Grævio producto, qui autem non in *Cataplo* invenitur, ut vir magnus exiſtimabat, ſed in *Navigio* p. 495. *Erant rupes nudæ & aſperæ, quas fluctus pulſabat,* καὶ Φοβε-

(*) Conſentire videtur noviſſimus Luciani editor Cl. Reitzius.

φοβερωτάτην ποιεῖ τὴν κυματωγὴν καὶ τὸν ἦχον μέγαν, qui horribilem fluctuationem & ſtrepitum magnum faciebat. Idem *Timone* p. 165. *Ne tamen in profundum mare, o bone! ſed ferme ad inguina usque ingreſſus, ὀλίγον πρὸ τῆς κυματώδους γῆς*, pro quo Codex Regius recte exhibet *κυματωγῆς*, notante Fabro, *paullo ante fluctuationem.* Satis hic aperte *κυματωγὴ* diſtinguitur a littore, in quo quis conſidere queat. Lucianus denique *Dipſadibus* p. 484. littus diſtinguit a fluctuatione, *παρὰ τὴν ἠιόνα, ἐπ' αὐτῷ τῷ κλύσματι*, ut & Apulejus *Metamorph. Lib. X. exeunte* dixit: *Electo ſecreto littore, prope ipſas fluctuum aſpergines.* Merito igitur *τὸ ἐπ' ἠιόνι* retinetur, atque, recepto e MSto *ἐπὶ τὴν κυματωγὴν*, vertitur *prope*, ut Apulejus, aut *ad æſtum, ſub æſtum & fluctuationem*, tempore æſtus, cum fluctus ferri frangique ſolent; quo modo Arrianus de *Expedit. Alexandri* Lib. III. c. 18. dixit *ἐπὶ τὴν ἕω, ſub auroram, irruit in caſtra*, & Polybius *Lib. III. c. 83. ἐπὶ τὴν ἑωθινὴν*, atque hac ratione & MSti lectio & verborum ordo conſervatur. Vocabulum *κυματώδης* habet Diodorus Siculus *Lib. I. p. 28. Ὁ ποταμὸς οὗτος μόνος τῶν ἄλλων ἄνευ βίας καὶ κυματώδους ὁρμῆς τὴν ῥύσιν ποιεῖται.*

Apud *LUCIANVM* p. 581. Zeuxis externam picturæ ſpeciem & novitatem, haud vero artificium laudari indignatus, *οὗτοι γὰρ*, ait, *ἡμῶν τὸν πηλὸν τῆς τέχνης ἐπαινοῦσι*, ΤΩΝ Δ' ΕΦ' ΟΤΩ, *εἰ καλῶς ἔχει, καὶ κατὰ τὴν τέχνην, οὐ πολὺν ποιοῦνται λόγον.* Vertitur: *Hi namque noſtræ lutum artis laudant; ſed mentis & ſcopi, num recte & ex arte factum ſit opus, nullam*

 habent

habent rationem. Miram τῶν ἐφ' ὅτῳ, *mentis & ſcopi*, verſionem Grævius pronuntiat, ipſe inſerit δεῖ, vertitque: *Illorum vero, propter quæ oportet,* (ſcil. laudare) *nullam habent rationem.* Mihi contra ſanus locus recteque verſus videtur. (c) Τὰ ἐφ' ὅτῳ ea ſunt, *quae pertinent ad cauſſam, mentem & ſcopum*, verbi cauſſa, uti continuo ſubjicit, εἰ καλῶς ἔχει, καὶ κατὰ τὴν τέχνην; *an & qua re recte ſe habeat, & an ſecundum artis rationes?* Εφ' ὅτῳ, *quam ob rem*, cauſſam & ſcopum indicat. Sic Lucianus *Lexiphane* p. 830. ὐκ οἶδ' ἐφ' ὅτω λυπηθεὶς, *neſcio quam ob rationem moerore affectus.* Idem *Eunucho* p. 841. *Salarium maximum accipiebant,* ἐφ' ὅτῳ συνεῖναι τοῖς νεοῖς, *ut docerent juvenes.* Dio Chryſoſtomus *Orat. LX.* p. 576. τί δε ἔδρας, ἐφ' ὅτῳ τῆς δὲ τύχης ἔτυχες. Dicitur autem τὸ aut τὰ ἐφ' ὅτῳ, *quod ad rationem & cauſſam pertinet*, quo modo τὸ μετὰ τῦτο ſignificat *conſequentiam, ea quæ ſequuntur* apud Eundem *Rhet. præcept.* p. 323. & *ſympoſio* p. 643. τὸ ἀπὸ τῦτυ. Xenophon de *Expedit. Cyri* p. 390. ἀυτοί τε, τὸ ἐπὶ τῦτῳ, ἀπολώλαμεν πάντες, *quantum in eo fuit.* Ariſtides Tom. I. p. 295. Τὰ ἀπὸ τῦτυ τις ἂν ἐνδέιξασθαι δυνηθέιη, ſic τὰ ἐφ' ἡμῖν Epicteti.

Phraſis, τὸν πῆλον τῆς τέχνης ἐπαινῦντες, reſpicit ad Promethei artem, qui ἐκ πηλῦ *e luto* homines finxit, quos Minerva animavit ἐμπνέυσα τὸν πηλὸν, Lucianus *p. 15. Tom. I.* Quemadmodum igitur inſulſus ille judex foret, qui lutum Promethei, rem inſolentem & externam, laudandum cenſeret, artis admirandæ & Minervæ ſapientiæ Deæ oblitus: ſic rudes

(c) Cl. Geſnerus in noviſſima editione ſequitur Grævianam emendationem, ſed loco τῶν δ' ἐφ ὅτῳ legere mavult τῦ δ'.

des & inepti homines cenſendi, qui ſpeciem picturæ novam laudabant, nulla mentis picturæ & artis habita ratione, quæ viventes & ſpirantes exhiberet.

IDEM de Saltatione p. 792. Παίδων χοροὶ συνελθόντες ἐν αὐλῷ καὶ κιθάρᾳ, οἱ μὲν ἐχόρευον, ΥΠΟΡΧΟΥΝΤΟ δὲ ἄριστοι, προκριθέντες ἐξ αὐτῶν. Ego hic quidem pro ἐν αὐλῷ ſcribendum exiſtimem σὺν αὐλῷ, ultimum σ in συνελθόντες expuliſſe ſequens in σὺν videtur, ut haud raro in MStis accidere ſolet. Quamvis etiam τὸ ἐν αὐλῷ aliquo modo defendi poſſit, hic tamen σὺν rectius ſcribetur, ſicuti modo dixerat, *ſacrificia fieri* σὺν ὀρχήσει καὶ μετὰ μουσικῆς. Idem *Chronoſolone* p. 625. ὡς ἀγείροιεν τῇ μητρὶ σὺν αὐλοῖς καὶ κυμβάλοις. (*)

Hunc Luciani locum Græyius p. 995. vertit: *Puerorum chori in vnum coacti ſub tibia & cithara, hi quidem ſaltabant, illi vero ſubſultabant, qui, quod aliis præſtarent, ex eis delecti erant.* Quare quæſo *in vnum coacti* vertit, nec potius *convenientes, congreſſi*, aut *ingreſſi*, ut Interpres? nec ὑπορχοῦντο vertiſſe ſatis eſt *ſubſultabant.* cur enim ad illam ſubſultationem præſtantiſſimi, e ceteris delecti, fuiſſent adhibiti, qua defungi omnino poterat gregarius quisque? Nempe ὑπορχεῖσθαι eſt *ſaltare cum cantu* atque ad cantum, decenti lacertorum & manuum pedumque motu; τὰ γ' οὖν, pergit Lucianus, τοῖς χόροις γραφόμενα τούτοις ᾄσματα, ὑπορχήματα ἐκαλεῖτο. Idem Athenæus

(*) Reitzius in nuperrima Luciani editione mavult ὑπ' αὐλῷ. Sed propius accedit ad ſcripturam vulgatam mea emendatio, quam & hic dicta magis commendant.

næus docet Lib. 14. p. 628. Poetas præſcripſiſſe ſaltantibus cantus & modos, qui ὑπορχήματα dicerentur, vide etiam Plutarchum Συμποσιακῶν Lib. IX. *fine*, qui etiam in *Numa* p. 68. de Saliis per urbem cum cantu & geſticulatione ſaltantibus idem verbum adhibet, nomen eos accepiſſe docens ἀπὸ τῆς ὀρχήσεως ἀυτῆς ἁλτικῆς ὄσης, ἣν ὑπορχοῦνται διαπορευόμενοι τὴν πόλιν, vide & ſequentia. (*) Sic olim ſaltabant: Propertius Lib. II. Eleg. XVIII. v. 5.

Sive aliquis MOLLI DEDUCIT CANDIDA GESTU
BRACHIA, ſeu varios incinit ore modos.

Illuſtris Spanhemius ad Callimachi *Hymnum in Delum* p. 514. ὑπορχοῦνται vertere mavult, *cantilenam accommodabant ſeu accinebant*, quod dictum nollem, nam ὑπορχεῖσθαι omnino ſaltationem includit cum cantu, ut ex ante dictis conſtat: luculenter præterea ex Athenæo *Lib. XIV.* cap. VI. p. 628. apparet, haud omnium id ſaltandi genus fuiſſe, quod nempe artem & exercitationem requireret, ita ut ſaltantium nutus & geſtus loquaces eſſent, vide Rigaltium ad Artemidorum p. 37. quare puerorum duntaxat præſtantiſſimi, atque e ceteris delecti, apud Lucianum erant οἱ ὑπορχούμενοι. Plutarchus etiam ſaltationis Deliacæ puerorum meminit in *Theſeo* p. 9. Xenodamus ὑπορχημάτων ποιητὴς occurrit apud Plutarchum de *Muſica* p. 1134. non minus quam Pindarus, cui tamen ὑπορχήσεως inven-

(*) Cel. Geſnerus in recentiſſimo Luciano p. 277. hos ὑπορχουμένους *doctores & magiſtros ſaltandi* exponit, verum nullo id exemplo docuit. Plutarchus etiam refragatur & puerorum mentio, imo ipſe Lucianus §. 66. citatus.

ventionem tribuit Clemens Alexandrinus, vide & Caſaubonum *ad Athenæi* Lib. XIV. c. 6. p. 900. Photius in Bibliotheca ex Procli *Chreſtomathia* p. 986. ὑπόρχημα definit *τὸ μετὰ ὀρχήσεως ἀδόμενον μέλος, καὶ γὰρ οἱ παλαιοὶ τὴν ὑπὸ, ἀντὶ τῆς μετὰ, πολλακις ἐλάμβανον*, ubi & inventionis laus Curetibus aut Pyrrho Achillis filio tribuitur. Livius Lib. 27. cap. 37. *per manus reſte data virgines SONUM VOCIS PULSU PEDUM MODULANTE inceſſerunt.*

LUCIANUS Hermotimo p. 521. 522. viam & rationem præſcribit ad civitatis, quam fingit, beatæ, jus & prærogativas enitendi, *ἀποχρὴν δ' ἑκάστῳ πρὸς τὸ πολίτην γενέσθαι, σύνεσιν καὶ ἐπιθυμίαν τῶν καλῶν, καὶ πόνον, καὶ τὸ ἀλιπαρὲς, καὶ τὸ μὴ ἐνδοῦναι μὴ δὲ μαλακισθῆναι πολλοῖς τοῖς δυσχερέσι.* Grævius e ſuo MSto præfert lectionem λιπαρὲς (*) vertitque *aſſiduitas*, cum Interpretis *macritas* ſeu *macies* nihil faceret ad jus civitatis conſequendum, λιπαρὲς *aſſiduitas* autem familiaris eſſet Luciano vox, quam cum *τῷ πόνῳ* non ſemel junxerit. Attamen recte ſeſe habere videtur *τὸ ἀλιπαρὲς*, quod iterum, & ſatis recte quidem, occurrit apud Lucianum in *Rhetorum præceptis* Tom. II. p. 313. *Πόνον δὲ καὶ ἀγρυπνίαν, καὶ ὑδατοποσίαν, καὶ τὸ ἀλιπαρὲς, ἀναγκαῖα ταῦτα καὶ ἀπαραίτητα φήσει*, ubi iterum Grævius quidem λιπαρὲς legit, additque: *Squalor* (uti Interpres verterat) *non deſideratur in ſtudioſis eloquentiæ*, ſed non perſuadet: ut ad eloquentiam veram perveniatur, improbo

(*) Tantum valuit Grævii auctoritas, ut in textum recentiſſimæ editionis τὸ λιπαρὲς reciperetur, quamvis nemo oſtenderit, vocabulum eſſe Luciano familiare ea ſignificatione.

probo utique labore opus eſt, formæ nitorem interea parum curante; tum vero ἀλιπαρὲς ignotius eſt quam λιπαρὲς, notiora autem librarii ſubſtituere ſolent ignotioribus; nec oſtendit, τὸ λιπαρὲς *aſſiduitatem* ſignificare, multo minus, familiarem eſſe Luciano ea ſignificatione vocem, & cum πόνῳ ſæpe conjungi.

Τὸ ΑΛΙΠΑΡΕΣ eſt *non nitidum*, neglectum formæ cutisque ſtudium. Sophocles *Electra* v. 451.

Σμικρὰ μὲν τάδ᾽ ἀλλ᾽ ὅμως
Ἄχω, δὸς αὐτῷ τήνδ᾽ ἀλιπαρῆ τρίχα
Καὶ ζῶμα τὐμὸν, οὐ χλιδαῖς ἠσκημένον.

Parva hæc quidem, ſed tamen, qualia nunc habeo, da illi incomtum capillum, & cingulum meum, haud delicate fabrefactum. Apud Eundem *Oedip. Colon.* v. 1219. τὸ λιπαρὲς eſt *nitidum, ſplendidum*, Scholia exponunt τὸ ἀρέσκον. Et *Electra* v. 1378. λιπαρεῖ χειρὶ, *ſplendida* & *liberali manu.* Heſychius ἀλιπαρῆ exponit αὐχμηρὸν, *incomtum, ſqualidum.* Sic etiam Suidas. Idem ſæpe ſignificat τὸ λιπαρὸν. Ariſtophanes *Nubib.* v. 998. Ἀλλ᾽ οὖν λιπαρός γε καὶ εὐανθὴς ἐν γυμνασίοις διατρίψεις, *nitidus verſaberis & floridus in ludis*, & v. 1007. ϛῆθος λιπαρὸν conjunctum habet χροιὰν λαμπρὰν. Idem *Pluto* v. 615. de eo, qui cutem egregie curat, λουσάμενος λιπαρὸς χωρῶν ἐκ βαλανείου. Xenophon *Lib.* 6. *Hiſt. Gr.* p. 597. λιπαροὺς καὶ φαιδροὺς opponit τοῖς σκυθρώποις. Idem *Memorab.* p. 740. ἀπόνως μὲν λιπαροὶ διὰ νεότητος τρεφόμενοι, ἐπιπόνως δὲ αὐχμηροὶ περῶντες. Hoc loco λιπαροὶ & αὐχμηροὶ opponuntur, & quemadmodum λιπαροὶ cum

ἐπιπό-

ἐπιπόνως, ſic λιπαροὶ cum ἀπόνως junguntur, quod contra Grævium notandum, qui λιπαρὲς apud Lucianum *l. c.* cum πόνῳ jungere malebat. Sane λιπαρὸς ſæpius apud Lucianum occurrit, ſed pro *nitido*, v. c. *Amoribus* p. 880. λιπαρὰ γαλήνη, *ſerena tranquillitas*, labores proinde & moleſtias minime faceſſens. Ibidem p. 882. λιπαρὰ χείλη, *nitida labia*, male ad locum priorem Menagius exponit *aſſidua.* Artemidorus p. 266. λιπαρῶς κατεβίωσεν, unde apud Homerum λιπαρὸν γῆρας, *læta & vegeta ſenectus*, quem Lucianus imitatus μήκιςον καὶ λιπαρὸν γῆρας habet *Macrob.* p. 468.

Omnino autem ad beatam illam civitatem conſequendam τὸ ἀλιπαρὲς pertinet, neglecta formæ & cutis cura, in qua excolenda & exornanda qui occupantur (*) molles ſunt & effoeminati, atque adeo virtutis & beatæ illius civitatis expertes, vide Xenophontem *l. c.* & Cebetis *Tabulam.* Ad maſculam eloquentiam pariter magna virium contentione & improbo labore opus eſt, calamiſtra & cutis nitorem reſpuente, qualis vir ille erat, viæ illius dux, apud Lucianum *ibidem*, πολὺν τὸν ἥλιον ἐπὶ τȣ̃ σώματος δεικνὺς, ἀρρενωπὸς τὸ βλέμμα, qui Demoſthenis veſtigia monſtrabat.

Ενδȣ̃ναι h. l. Grævius vertit *tergum dare*, melius eſt, *cedere hoſti, difficultatibus, periculis*, Thucydides *Lib. II. cap.* 79. καὶ ὁπότε μὲν ἐπίοιεν οἱ Αθηναῖοι, ἐνεδίδοσαν, ἀποχωρȣ̃σι δὲ ἐνέκειντο.

B Μή-

(*) Occurrit quidem, ne quid diſſimulem, πυρετὸς λιπαρὴς initio Tr. *de Hiſtoria conſcribenda*, ſed eſt *febris inſignis*, ut in *Abdicato* προθυμία λιπαρὴς eſt *inſigne ſtudium.*

Μὴ δὲν ἐνδȣ̃ναι eſt conſtantis & tenacis propoſiti viri. Lucianus *Toxari* p. 69. *Ubi jam diu acriter eſſet pugnatum*, ἐνεδίδȣ ἤδη τὰ ἡμέτερα καὶ παρεῤῥήγνυτο ἡ φάλαγξ, *noſtri jam cedere & phalanx perrumpi.* Dionyſius Halicarn. *Lib. V. p. 283.* de Bruti admiranda & invicta conſtantia: Θαυμαςὸν μὲν καὶ τȣ̃το ἅπασιν ἐφάνη τὸ μηδὲν ἐνδȣ̃ναι τὸν ἄνδρα. Ibidem *de eodem:* Μαλακὸν ȣ̉δὲν ἐνδȣ̃ς. Diogenes apud Dionem Chryſoſtomum *Orat. VIII.* p. 133. de viro ad virtutem & felicitatem enitente per omnia pericula, per verbera, per enſes & ignes: Κἂν δέῃ μαςιγȣ́μενον καρτερεῖν, καὶ τεμνόμενον, καὶ καιόμενον, καὶ μηδὲν μᾶλλον ἐνδιδόντα. Atque hoc μὴ ἐνδȣ̃ναι *aſſiduitatem* includit, ut ex ea etiam ratione non opus ſit cum Grævio τὸ λιπαρὲς *aſſiduum* ſubſtituere.

CAPUT II.

Lucianus in Toxari explicatus contra Grævium, κλοιὸς *vinculum colli.* Κυφὼν. Διείρω, *trajicio, inſero.* Lucianus contra Lamb. Bos vindicatus. Ἐπάγω, *exercitum induco.* Inedia trium ſeptemve dierum. Lucianus *in Gallo* explicatus, Φωρᾶσθαι. Lucianus emendatur *in Gallo.* Avari fœneratores digitis uſuras numerabant. Polyænus emendatus. Lucianus vindicatus & explicatus. Σταθμοὶ καὶ Παρασάγγαι. Φορτικὰ, *gravia, inſolentia.*

L*UCIANUS Toxari* p. 55. de vincto quodam in carcere catenam lima accepta diſſecante, ſociosque liberante: Αποπρίει τε τὴν ἅλυσιν, ᾗ ἐδέδεντο

δεντο ἑξῆς, τῶν κλοιῶν ἐις αὐτὴν διειρομένων, καὶ ἀπολύει ἅπαντας, quæ ſic vertuntur: *Catenam inſecuit, qua ordine adſtringebantur, cyphonibus in hanc inſertis, ſolvitque omnes.* Ad quæ ita Grævius: " In Græcis primum non intelligo, quid ſit τῶν " κλοιῶν ἐις αὐτὴν διειρομένων, multo minus verſionem Eras- " mi: *Cyphonibus in eam inſertis.* Διείρομαι *eſt quæro, interro-* " *go;* ſed legendum e MS. διειργομένων *vinculis, quibus ſinguli* " *ligati erant, eos dirimentibus.* addit denique: omnes aut " ſaltem paria catenatorum erant vincta compedibus, qui " omnes compedes adſtringebantur catenæ majori.

At errat Vir magnus in exponendo κλοιῷ per *compedes;* id enim non fuit vinculum pedum, ſed colli, ut aperte docet Scholiaſtes ad Ariſtoph. *Veſpas* v. 892. & Heſychius: κλοιὸς περιτραχήλιος δεσμὸς, κολλάριον. Pedum autem quoque vinculum erat ξύλον, quod ſatis aperte a κλοιῷ diſtinguitur in eodem *Toxari* p. 52. *Morbo jam laborabat,* οἷον εἰκὸς χαμαὶ καθεύδοντα τῆς νυκτὸς, ὀυδὲ ἀποτείνειν τὰ σκέλη δυνάμενον, ἐν τῷ ξύλῳ κατακεκλεισμένα, τῆς μὲν γὰρ ἡμέρας ὁ κλοιὸς ἤρκει. Confer *Obſerv. meas* ad Act. XVI. 24. Idem Vir *Cl. ad Luciani Tom. I.* p. 969. τὰ κλοῖα & ὁ κλοιὸς exponit *vincula, quibus & captorum colla, manus, pedes vinciuntur;* ſed & ille Luciani locus, & quem præterea affert, Xenophon & Euſebius, docere eum potuiſſent, κλοιὸν pertinere *ad collum,* non vero ad pedes. apud Septuaginta Interpretes vulgo ſic dictos ſæpiſſime κλοιὸς & κλοιὸι ἐπὶ & ἐν τῷ τραχήλῳ occurrit, vide Deut. 28. 48. 3. Reg. 12. Jerem. 28, 10, 14. Jud. 8. 26.

Recte deinde Eraſmus *κλοιῦς* vertit *cyphones;* idem enim eſt *κυφὼν* & *κλοιὸς*, docente Scholiaſte Ariſtophanis *ad Plutum* v. 476. Κυφὼν *δὲ δεσμός ἐστι ξύλινος, ὃν οἱ μὲν κλοιὸν ὀνομάζουσιν*, ita nimirum dictus, quod cervicem incurvaret, nec erigi ſineret, uti ibidem docetur, ut & à Scholiaſte Luciani ad Pseudologiſtam p. 41.

Recte denique Eraſmus vertit *διειρομένων inſertis* aut innexis. catena enim inſerta aut trajecta per omnes cyphones captos illos ordine univerſos ligabat. *Διείρω, διείρομαι*, eſt *inſero, trajicio* apud Lucianum *in eodem Toxari* p. 61. *Διὰ τῶν ὀδόντων μεταξὺ διείρων τοὺς δακτύλους*, *per medios dentes digitos inſerens.* Ælianus, *Hiſt. Animal. Lib. XI. cap. XII.* *ὁλόσχοινον αὐτοῦ διείραντες τῶν ῥινῶν.* Xenophon *de Inſtit. Cyri Lib. VIII.* p. 214. *Διῃρκότες τὰς χεῖρας διὰ τῶν κανδύων, ὥσπερ καὶ νῦν ἔτι διείρουσιν, ὅταν ὁρᾷ βασιλεύς*, de quo loco infra. Svidas voce *παυσικάπη. μηχάνημα τροχοῖς ἐμφερὲς, δι' οὗ τὸν τράχηλον* ΔΙΕΙΡΟΝ, vide & Heſychium, qui *πεντισύριγγον ξύλον* ſic deſcribit *πέντε ὀπὰς ἔχον κατὰ τὸ δεσμωτήριον, τέσσαρας μὲν εἰς ἃς οἱ πόδες καὶ αἱ χεῖρες* ΔΙΕΙΡΟΝΤΟ. Schol. Ariſtoph. Equit. v. 1046. habent *ἐνεβάλλετο.*

Verſio autem Grævii obſcura eſt, & ob inſolentes ellipſes difficillima, locum ſic vertit: *Catenam diſſecuit, qua ordine alligabantur, vinculis in eam* (ſcil. inſertis) *dirimentibus* (ſcil. catenatos,) *ſolvitque omnes.* Nec huc pertinet, quod de Romanorum more, eadem catena in carcerem coniectum & militem cuſtodem vincientium, affert. Sermo enim apud Lucianum eſt de ſolis captis & collaribus vinctis, eadem catena

per

per omnium collaria trajecta. Neminem autem morabitur, opinor, quod *collaria in catenam inſerta* dicantur, pro, catena in collaria inſerta aut trajecta: nam ſic quoque Græci loqui amant. Athenæus *Lib. IV.* p. 155. Τὸν τράχηλον ἐις τὸν βρόχον ἐντιθῆναι *cervicem in funem indere* dixit, pro, τὸν βρόχον ἐις τὸν τραχηλὸν aut τῷ τραχήλῳ, atque ſic frangere fune fauces. (*)

LUCIANUS de Conſcribenda Hiſtoria p. 617. inedia peremptum Severianum, narrare malæ fidei Hiſtoricos dicit, cum ſimile vero non ſit, tantum temporis, trium puta aut ſeptem dierum, hoſtem indulſiſſe, ut inedia enecari poſſet; Εἰ μὴ τȣ͂θ' ὑπολάβοι τις, ὡς Ὀσρόης ἐισήκει περιμένων ἔς' ἂν Σεβηριανὸς λιμῷ ἀπόληται, καὶ διὰ τȣ͂το ȣ̓κ ἐπήγαγε διὰ τῆς ἑβδόμης, *niſi quis hoc putet, Osroën antea expectaſſe, dum Severianus fame eſſet enectus, & ob hoc eum per ſeptem dies in aciem non eduxiſſe.* Diſplicent poſtrema in hac verſione Cl. Lamberto Bos *in Animadverſ. ad Scriptores quoſdam Græcos* cap. XIV. p. 63. ipſe vertit: *& propterea eum non produxiſſe vitam per hebdomadem*, addit: *ſe neſcire, vnde Interpres didicerit*, ἐπάγειν διὰ τῆς ἑβδομῆς denotare: *per ſeptem dies in aciem educere;* ἐπάγειν potius hic abſolute poſitum vult pro ἐπάγειν τὸν βίον, h. e. *inſuper agere vitam, producere vitam*, quemadmodum ἄγειν & διάγειν abſolute uſurparentur, ſine voce βιόν. At vehementer fallitur Vir doctus & ceteroquin cautus. Omnino ἐπάγειν

(*) Qua ratione etiam Cl. Reitzio in noviſſima edit. ſcrupulus exemtus erit, quiá hic diceretur ἐις αὐτὴν διερομένων, non διά. &c.

γειν ſignificat *in aciem educere contra aliquem*, ipſe Lucianus docet *Baccho* p. 361. οἱ μὲν Ινδοὶ προτάξαντες τȣ̀ς ἐλεφάντȣς ἐπῆγον τὴν φάλαγγα, *Indi collocatis in prima acie elephantis, exercitum eduxerunt.* Herodianus *Lib. VI. cap. V.* p. 267. ὑπέσχετο ἐπάξειν τοῖς βαρβάροις κατὰ μέσην τὴν πορείαν, *promiſit exercitum ſe educturum adverſus Barbaros medio itinere;* ſubauditur autem ςρατὸν, δύναμιν, quod addidit Herodianus *l. c. Cap. VII. initio*, & Dionyſius Halicarnaſſenſis *Lib. VIII.* p. 500. Cum hic igitur apud Lucianum de bello & hoſte ſermo ſit, merito ἐπάγειν *educere exercitum* ſignificare cenſetur, præſertim cum Bos nullo exemplo docuerit, ἐπάγειν eſſe *producere vitam*. Rectius autem ille Luciani locus ſic vertitur: *niſi aliquis Osroën ſubſtitiſſe & expectaſſe putet, dum Severianus fame enecaretur, nec propterea intra hebdomadem exercitum aduerſus eum eduxiſſe.* (*) tantum enim ſpatium requireretur, ut fame aliquis pereat; alios autem a cibo abſtinentes triduum durare duntaxat, non modo hoc loco Lucianus docet, verum etiam de *Luctu* p. 307.

Apud *LUCIANVM in Gallo* p. 184. mire verſa ſunt μὴ καταφωράσῃ παρόντας ἡμᾶς, *ne nos præſentes prodas in furto.* Grævius: *in furto dele, ſi Græca recte velis intelligere.* Atqui & verſio præterea emendari, & verti debuiſſet, *ne nos deprehendat*, ſcil. Simon iſte aut Simonides, *præſentes.* Sic dixit Ælianus

(*) Cl. Reitzius vidit quidem ἐπήγαγε etiam eſſe poſſe *induxit exercitum*, tamen Cl. Bos expoſitionem huius loci admiſit, male omnino, ut apparet.

anus *Hiſt. Animal. Cap. II.* fine: ἔτω μὲν δὲ καὶ θεοφιλεῖς ἐφωράθησαν ὄντες οἱ ἐλέφαντες. Ælian. *Var. Hiſt. Lib. VII. Cap. V.* *Laërtes* ᾽αυτεργῶν ὑπὸ τἔ παιδὸς πεφώραται, *ipſe ſibi miniſtrans a filio deprehenſus eſt.* Antoninus Liberalis *Cap. XI.* p. 88. ἐπεὶ δὲ αὐτὸ κατεφωράθησαν οἱ γονεῖς τε καὶ ὁ ἀδελφός. Induxit autem Interpretem in illum errorem, quod φωράω ſit a φὼρ, *fur*, atque alias *deprehendi in furto* ſignificet, unde etiam ἐπ᾽ αὐτοφώρῳ *deprehendi* dicitur aliquis, ſive *in furto*, ſive *in alio ſcelere*, confer *Obſervat. meas* ad Joh. 8. 4.

IBID. p. 185. de Gniphone fœneratore: (*) ὁρᾷς ἐπαγρυπνἔντα καὶ τἔτον ἐπὶ φροντίδων, ἀναλογιζόμενον τἕς τόκἕς καὶ τἕς δακτύλἕς κατεσκληκότα, vertitur: *Vides hunc etiam curis invigilantem, digitis contortis uſuras ſupputantem*, improbante Grævio, quod δακτύλἕς κατεσκληκὼς non eſſet *contortis digitis*, ſed *cujus digiti contabuerunt*, & vertente: *vides hunc etiam vigilare præ curis, ſupputare uſuras, & ejus digitos contabuiſſe;* addit: *ut ſolent eſſe hominum morbis aut curis confectorum digiti.* At nulla ratio eſt, quare avari digiti potius contabuiſſe dicantur, quam totum corpus, quod avaritia & dira illa habendi cupido enervare & conficere ſolet, qualis paullo ante Simon ejusdem furfuris homo depingebatur p. 183. κατέσκληκεν ὅλος, ἐκτετηκὼς ὑπὸ φροντίδων δηλαδὴ, imo & hic Gnipho ἔτος ἐκτέτηκεν ὅλος *hic totus contabuit.* Talis itidem Chremes apparet foenerator ὁ κατεσκληκὼς apud Alciphronem Lib. III. Epiſt. 3. p. 278. Lucianus *Hermotimo* p. 513. ὠχρὸν ἀεὶ ὑπὸ φροντίδων καὶ τὸ σῶμα κατεσκληκότα habet.

Vitium

Vitium autem in primo Luciani loco inſidere videtur, hac ratione tollendum, ſi diſtinctione poſt τόκȣς ſublata, pro καὶ legas κατὰ, ut ſit ἀναλογιζόμενον τȣ̀ς τόκȣς κατὰ δακτύλȣς *uſuras numerare ad digitos.* Ita enim avari foeneratores numerare ſolebant, οἱ περὶ τὰς ψήφȣς καὶ τῶν δακτύλων τὰς κάμψεις εἱλινδȣ́μενοι, Alciphron *Lib. I. Epiſt.* 26. p. 108. ubi in notis plura. Sic & Lucianus *Timone* p. 85. ὠχρὸς ἡμῖν ἐφαίνȣ καὶ φροντίδων ἀνάπλεως συνεσπακὼς τȣ̀ς δακτύλȣς πρὸς τὸ ἔθος τῶν συλλογισμῶν. Ex quibus locis id quoque apparet, haud male, ſi rem ipſam ſpectes, Interpretem apud Lucianum vertiſſe *contortis digitis.* Ariſtophanes *Veſpis* v. 654. λόγισαι μὴ ψήφοις, ἀλλ' ἀπὸ χειρὸς τὸν φόρον. Ariſtides ſerm. Sacr. 2. p. 298. edit. Oxon. προβαλὼν τȣ̀ς δακτύλȣς, καὶ χρόνȣς τινὰς συλλογισάμενος. Immo eundem illum Gniphonem fœneratorem Lucianus diſerte ad digitos uſuras numerantem producit in *Cataplo* p. 435. ὠχρὸς ἀεὶ καὶ αὐχμηρὸς ἦν φροντίδος τὸ μέτωπον ἀνάπλεως, καὶ μόνοις τοῖς δακτύλοις πλουτῶν, οἷς τάλαντα καὶ μυριάδας ἐλογίζετο, *ſolis digitis dives erat, quibus talenta & myriadas ſupputabat.* Qua quidem ratione emendatio mea extra omnem dubitationem ponitur. Eodem mendo Polyænus liberandus eſt Lib. V. cap. 28. p. 514. νύκτωρ προσέταξε πέμψαι τινὰς τῶν ἱππέων ΚΑΙ ΤΩΝ ΚΟΡΥΦΩΝ, legendum κατὰ τῶν κορύφων. ita Lib. IV. p. 351. κατὰ κορυφῆς. mendum ſubeſſe jam veritus eſt Caſaubonus. (*)

IDEM.

(*) Cl. Geſnerum eadem ratione Lucianum emendare nunc video, neque tamen eam emendationem confirmat, ſed mox deſerit.

IDEM Icaromenippo p. 186. *Jam dudum te ſequens audio Soles & Lunas*, ἔτι δὲ τὰ Φορτικὰ ταῦτα, ΣΤΑΘΜΟΥΣ τινας καὶ ΠΑΡΑΣΑΓΓΑΣ ὑποξενίζοντος, *quin etiam faſtuoſas & peregrinas iſtas voces, ſtadia & paraſangas commemorantem.* Hic Grævius p. 882. ςάδια mavult pro ςαθμὸς, quæ cum paraſangis rectius coniungerentur, & Φορτικὰ vertit *ridicula.* At invita, opinor, Minerva. Ipſe Lucianus ςαθμὸς & παρασάγγας iterum conjunxit *de Conſcribenda Hiſtoria* p. 618. *mentiri* ȣ̓ παρασάγγας μόνον, ἀλλὰ καὶ ςαθμὸς ὅλȣς. Herodotus autem ſæpiſſime conjunxit ςαθμὸς καὶ παρασάγγας, e. gr. *Lib. V. Cap. LII.* bis. Xenophon itidem *de Exped. Cyri* Lib. I. p. 246. 247. animadvertit id quoque Lamb. Bos *Obſ. Crit.* p. 66. ςαθμοὶ ſunt *manſiones*, quarum frequens in antiquis Itinerariis mentio, vide *Itinerarium Hieroſolymitanum* p. 551. edit. Weſſelingi, quibus a Perſis vias per Orientem diſtinctas fuiſſe, docet idem Vir Clar.

ΦΟΡΤΙΚΑ autem haud recte vertitur *ridicula*, cum ſit *inſolentia, gravia, vix ferenda.* Lucianus *in Rhetor. præceptis* p. 322. ὡς ναυτιᾷν ἅπαντας ἐπὶ τῷ Φορτικῷ τῶν ὀνομάτων, καὶ ἐπιφράττεσθαι τὰ ὦτα, *ut omnes ob inſolentiam vocum nauſeent, & aures obſtruant.* Idem *Timone* p. 138. ἔπαινοι Φορτικοὶ, *laudes intolerandæ;* quemadmodum Diodorus Sic. Lib. I. p. 45. Φορτικὸς ἑαυτὸν ἐγκωμιάζειν βȣλόμενος. Proclus *in Timæum Platonis* p. 31. παλαιὸς μὲν ὁ ἱερεὺς ἵνα καὶ ἐπιπλήττων μὴ λίαν Φορτικὸς ᾖ. κ. λ. Lucianus *de conſcrib. Hiſtoria* l. c. ſatis Φορτικὰ exponere videtur, dum Φορετὰ opponit. (*)

(*) Nec ſatis accurate in noviſſima edit. vertitur *grandia nomina.*

CAPUT III.

Ælianus in Hiſtoria Animalium emendatur contra Lamb. Bos. Helenium herba. Βαρύτατα defenditur contra Obſervatorem in Miſc. Criticis. Ξένοι Δαίμονες contra Eundem defenduntur. Item Βαθύτατα γερῶν. Defenditur ἐπειράσθησαν ad Hebr. XI. v. 37. contra Gratian. de S. Bavone. Ælianus Var. Hiſt. ἐν τιμῇ Perizonii expoſitio defenſa contra Obſervatorem, ut & ad Lib. III. cap. XXVI.

ÆLIANUS *Hiſt. Animal.* Lib. IX. Cap. 21. Helenii herbæ mentionem facit, ſerpentes fugantis atque nomen ab Helena ſortitæ, quæ Phari viciniam immunem a ſerpentibus præſtitiſſet, animalibus illis ante infeſtam: τὴν τε αὐτὴν καταφυτεῦσαι, καὶ χρόνῳ ἀναθῆλαι, καὶ ἀφιέναι σπέρμα ἐχθρὸν ὄφεσι, καὶ μέν τοι καὶ ἐν τῇ Φάρῳ θηρίον τοιόνδε γενέσθαι. Locus jam Geſnero medicina indigere viſus eſt, qui pro θηρίον forte legendum putabat φυτόν. Lambertus Bos *Obſerv. Crit.* p. 43. mavult θηριακόν, *medicamentum* contra ictus morſusve venenatorum animantium. Uterque male: φυτὸν *in Pharo eſſe* inutiliter repeteretur, cum modo dixiſſet, *eam herbam ibi plantatam fuiſſe*; herbam illam autem θηριακὸν vocari, non probatum video, nec eſt vero ſimile, præſertim cum Ælianus continuo addat, vocari illam herbam *Helenium*, κληθῆναι δὲ τὴν πόαν ἑλένιον.

Rectius poſt τοιόνδε excidiſſe putaverim οὐδὲ, ob ſimilitudinem litterarum in voce præcedenti τοιόνδε, & verterim: *quin*

quin & in Pharo tale animal (h. e. ſerpentem) *ne eſſe & ne inveniri quidem*, ſcilicet ob illam herbam, quæ non modo affatim ibi locorum creſceret, verum etiam σπέρμα ἐχθρὸν ὄφεσι relinqueret, ita ut ſerpentes, ſimulatque herbam illam ſentirent, in terram ſe abderent & fugerent, ut Ælianus ibidem narrat. Heſychius: Ελένιον, βοτάνη τις, ἥν φασιν Ελένην σπεῖραι πρὸς τὰς ὄφεις, ὅπως βοσκόμενοι ἀναιρηθῶσιν. De herbæ ſpecie & virtute videatur Theophraſtus *Lib. VI.* & Interpretes p. 683. Θηρίον autem *de ſerpente* in primis dici, notum eſt, vide Ælianum *Hiſt. animal. Lib. III.* c. 32. & *Lib. IV. Cap. 14.* Lucianum de *Dipſadibus.* p. 484. ut & Interpretes, ipſumque Bos, in *Obſervationibus ad Acta Apoſt.* c. XXVIII. v. 4.

AELIANUS Var. Hiſt. Lib. II. c. XI. divites maxime a Tyrannis inſidiis peti dicit, καὶ ΒΑΡΥΤΑΤΑ τὰς πλουτοῦντας ὑπὸ τῶν τυράννων ἐπιβουλευομένους. Vir doctus in *Obſervationibus Miscellaneis Criticis in Auctores, in Britannia edi coeptis Vol. II.* p. 249. corruptum locum putat, ita emendandum: Καὶ τὰς βαθύτατα πλουτοῦντας, *ditiſſimos*, unde & πλοῦτος βαθὺς diceretur, non βαρύς. At mihi locus omnino ſanus eſt & recte verſus: *locupletes maxime inſidiis peti*, pertinet enim βαρύτατα ad ἐπιβουλεύειν, *acerrime, atrociſſime inſidiari.* Sic conjunxit idem Ælianus *Lib. VII. cap. 3.* ἑταίρων ὀδυρομένων βαρύτατα, & *Lib. XII. cap. 1.* ἐπένθει βαρύτατα, & *Lib. XIII. c. 1.* βαρύτατοι κωμασταί.

Errat idem Vir doctus *ibidem* p. 250. apud *AELIANUM* cap. XIII. pro ΞΕΝΟΥΣ ΔΑΙΜΟΝΑΣ legi jubens καινοὺς δαίμονας, eo quod *nunquam Socrati objectum eſſet, peregrinos,*

 ſed

ſed *ſemper*, *novos dæmones introduxiſſe.* Iidem autem ſunt ſine dubio ξενοὶ δαίμονες & καινοὶ δαίμονες, quemadmodum ξενὸν idem eſt quod καινὸν, apud Dionyſium Halicarnaſſeum *Lib. X.* p. 679. Lucianus conjunxit καινὸν καὶ ξενίζον *Zeuxi* p. 578. 581. in Actis Apoſtolorum Cap. XVII. v. 18. ξενὰ δαιμόνια pertinent ad καινὴν διδαχήν. Confidentius deinde quam verius dicit, Socrati *novos* duntaxat *Dæmones* exprobratos fuiſſe, *peregrinos* nunquam: nam *alii* etiam *Dæmones*, ἕτερα δαιμόνια, eidem exprobrati fuere, ut apparet ex Apologia apud Platonem: Θεὲς, ὃς ἡ πόλις νομίζει, ἐ νομίζοντα, ἕτερα δὲ δαιμόνια p. 361. 362. & ſæpius *ibidem.* Immo, quod nunquam factum Vir doctus putarat, etiam ξενοὶ δαίμονες aut ξενὰ δαιμόνια Socrati objecti fuere, Plutarcho locupletiſſimo teſte p. 328. de *Fortuna* vel *Virtute Alexandri. Et Socrates quidem* ξενὰ παρεισάγων δαιμόνια *pœnas athenienſibus calumniatoribus dedit.*

Idem Vir doctus *ÆLIANUM* corrumpit *Lib. II. c. 36.* pro ΒΑΘΥΤΑΤΑ ΓΗΡΩΝ ſubſtituendo βαρύτατα, quod & *Lib. VII. cap. 5.* ſubſtituit, quin & eo progreditur, ut omnia ea auctorum loca, quæ βαθὺ γῆρας aut βαθὺ γηρῶν exhibent, mendi poſtulare audeat, atque βαρὺ aut βαρύτατα ſurroget. temeraria profecto criſi, & corrumpendis auctoribus, non emaculandis nata!

Proba eſt omnino utraque lectio, βαθὺ γῆρας & βαρὺ γῆρας, pro diverſo ſenectutis genere, quæ non modo gravis ac moleſta incumbit, ſed vegeta etiam, tranquilla & hilaris contingere poteſt, quamvis ad ſummum fere gradum producta,

ducta, ut omnium temporum hiſtoria & experientia teſtatur. Ejusmodi læta ſenectus annorum quidem ratione eſt βαθὺ γῆρας, at non βαρὺ, ab incommodis nempe immunis, quibus ſenectus premi & urgeri ſolet. Quare male omnino τὸ βαθὺ in βαρὺ converteretur, ubi id non modo expresſum extat, conſentientibus Codicibus; verum mentio quoque tranquillæ & optimæ ſenectutis aut expreſſa occurrit, aut facile ſubintelligitur. Talis v. c. Socratis ſenectus fuiſſe videtur, qui eodem ſemper, id eſt ſereno, vultu conſpiciebatur, Xantippe teſte, minime ſuſpecta, apud Ælianum Lib. IX. c. 7. Talis Laërtis etiam erat *ibid.* Lib. VII. c. 5. & celebrata illa Tithoni ſenectus, quæ in proverbium abiit, atque ſic extat apud Suidam, ut βαθὺ vehementer defendi queat: κἀταγηράσεις Τιθωνȣ̃ βαθύτερον. Ejusmodi ſenectutem, *profundam* quidem annis, ſed vegetam & optabilem, Syneſius appellat γῆρας βαθὺ καὶ λιπαρὸν in *Elogio Anyſii* p. 304. ut & *Eunapius Ædeſio* fine: βαθὺ καὶ λυπαρὸν, ubi vitioſe legitur λυπηρὸν. Artemidorus dixit μακρογήρως καὶ λιπαρῶς κατεβίωσεν *Lib. V. oneirocrit.* p. 266.

Probata igitur eſt & elegans phraſis βαθὺ γῆρας, βαθὺ γηρῶν, ut præterea quoque Zoſimus Lib. V. p. 786. ἐις βαθὺ γῆρας προελθὼν dixit, quemadmodum Ariſtophanes *Nubibus* v. 514. προήκων ἐς βαθὺ τῆς ἡλικίας. Græci denique recentiores, qui litteras ſuas, ſatis ceteroquin rudes & incultas, phraſibus e veteribus auctoribus compilatis, tanquam floſculis & ſtellulis exornare ſolent, βαθὺ καὶ λιπαρὸν γῆρας habent,

bent, ut oſtendi in *Græcorum Chriſtianorum in Turcia deſcriptione* p. 43.

Eodem *Volum. II. Miſcell. Obſervat. Crit.* p. 285. Gratianus de S. Bavone ad Cl. Alberti conjecturam ſe propendere fatetur, qui in *EPISTOLA AD HEBRAEOS* Cap. XI. v. 37. pro ἐπειράσθησαν ſubſtituit ΕΣΠΕΙΡΑΘΗΣΑΝ aut ἐσπειράσθησαν, *excruciati* ſunt, aut *funem contortum paſſi*; i. e. *ſtrangulati ſunt*, quod ego in meis ad l. c. Obſervationibus *inſolentiſſimum* eſſe dixi. Nihil hic autem Gratianus affert, quod emendationem illam commendare aut fulcire queat, ſed Suidam advocat, qui περισπειραθεὶς exponit περιπλακεὶς, περιελιχθεὶς, quid id autem ad Apoſtoli locum? is certe non habet περισπειράθησαν, ex Alberti autem conjectura legendum erat ἐσπειράθησαν. Deinde nemo virorum oſtendit, ἐσπειράθησαν ſignificare *excruciari*, *rota torqueri*, *rota contundi*, *ſtrangulari*, quam ſignificationem tamen extundere volunt. Apud Apoſtolum admirando Codicum conſenſu legitur ἐπειράσθησαν, ſatis idoneo ſenſu, ut in *Obſervationibus* oſtendi. Merito id igitur inſolentiſſimum vocabulum appellavi, quod minime comparari meretur, ut Gratianus tamen contendit, cum κεφαλαιοῦν Marc. XII. 4. totidem ibi litteris exſtante, & ſatis accommodato, ut viri docti oſtenderunt, & oſtendam Deo volente.

Grævius ad Luciani *Tom. I.* p. 985. pro περιπειραθέντων, quod etiam defendi poſſet, legit περισπειρασθέντων, uti Menagius p. 623. legerat περισπειραθέντων, *ſpiris draconum &*

ſer-

ſerpentum ligari, involvi. Addo, quem locum Viros doctos fugiſſe miror, Lucianum *Dipſadib.* p. 484. de dipſade tali volumine ſpirarum aliquem conſtringente: Τὸ θηρίον δὲ ἐμπεφυκὸς αὐτῷ περιεσπειρᾶσθαι τῷ ποδί. Sæpius idem verbum occurrit apud Diodorum Siculum, ut *Lib. III.* p. 145. ſed de ſerpentum & draconum ſpiris: occurrere quoque videtur ἐσπειραμένες apud Lucianum *Philopseude* p. 342. quod magis propoſitam illam emendationem juvare poſſet, at denuo de ſpiris draconum. Attamen neque hæc ſignificatio ad Epiſtolam ad Hebræos aliquid facit, ubi nulla ſerpentum & draconum mentio, nec vola nec veſtigium apparet, qua re etiam *ſpiræ* merito exulant, præſertim rotarum.

Errat denique Gratianus in Heſychio exponendo, verbis ἐτυμπανίσθησαν, ἐκρεμάσθησαν, ἐσφαιρίσθησαν, tria diverſa ſupplicia Heſychium enumeraſſe putans, ab Apoſtolo quoque memorata l. c. v. 35. 37. Omnino enim Heſychius more ſuo prius per poſteriora interpretatur, qua quidem de re minime Gratianus dubitaſſet, ſi, quale τυμπανισμὸς ſupplicii genus fuerit, revocare ſibi in memoriam voluiſſet.

AELIANVS Lib. II. c. 33. Athenienſes Cephiſſum fluvium viri ſpecie repræſentare dicit, ſed cornua oſtentantis, ἄνδρα μὲν δεικνύεσιν EN TIMH, κέρατα δ' ὑποφαίνοντα. Incommodum videtur adjectum illud ἐν τιμῇ, quare in Khunii verſione omittitur, Perizonius autem vertit: *ſacris honoribus*, atque oſtendit, de *ſtatuæ honore* ſumi poſſe. Contra Vir doctus *Vol. III. Miſcell. Obſ. Crit.* p. 88. conjunctum mavult

ἐν

ἐν τιμῇ cum ἄνδρα, & vertit: *vir honoratus*, quaſi apud Athenienſes Cephiſſus toto quidem cetero habitu ac ſpecie formam viri honorati retuliſſet, ſed caput cornutum habuerit, quod viro honorato convenire non videatur. Sic ille. Huic ſententiæ aſſentiri non poſſum. Non enim video, qua ratione viri honorati aut opibus & genere illuſtris habitum & ſpeciem ſtatua fluvii referre potuerit, cum fluvii vulgo viri nudi, arundine forte caput cincti, ſpecie fingi & oſtentari ſolerent, quod etiam diſerte docet Dio Chryſoſtomus *Orat. IV.* p. 73. cornutum autem caput honoratiſſimis viris, Heroïbus, immo & Diis ſatis convenire videatur, ut ex Illuſtris Spanhemii *Diſſertat. VII. de uſu & præſtantia numiſmatum* apparet. Structura denique & ordo verborum apud Ælianum minime iſti expoſitioni favet: non enim ἐν τιμῇ conjungitur cum ἄνδρα, ſed cum δεικνύουσιν, ſic nempe legitur: ἄνδρα μὲν δεικνύουσιν ἐν τιμῇ, quare, ſi ἐν τιμῇ retinendum eſt, optima Perizonii expoſitio videtur. In Inſcriptionibus quoque TIMH aut TEIMH ſatis frequenter extat pro *ſtatua* & *ſtatuæ honore*, apud Sponium *Miſcellan. eruditæ antiquitatis* p. 360. THN TEIMHN ANAΘENTOΣ, alibi autem p. 339. ANAΘEΣIN TOY ANΔPIANTOΣ & p. 356. TEIMHN ANAΣTHΣANT. & diſertiſſime p. 334. TEIMHN ΛAMBANOYCA MAΛΛON H ΔIΔOYCA EΠI TH TOY ANΔPIANTOC ANACTACEI. oſtendit quoque Octavius Falconerius τιμὴν & τιμὰς *de ſtatuis* ſæpe accipi, *ad athleticas inſcriptiones* p. 2315. *Tom. VIII.* Theſauri Gronoviani. Sufficeret

alias

alias τὸ δεικνύειν ad ſtatuæ honorem ſignificandum. Ælianus *Lib. VI. cap. XI.* de Gelonis ſtatua: εἰκὼν γυμνὸν αὐτὸν ΔΕΙΚΝΥΣΑ. Idem *Lib. XIV. cap. 37.* τὰ ἀγάλματα, ὅσα ἡμῖν ἡ πλαστικὴ ΔΕΙΚΝΥΣΙ. Apud Pauſaniam ſæpe. De *Fluviis cornutis* ſeu *cornigeris* præter alios Spanhemius agit l. c. Δὲ autem h. l. non oppoſitionem, multo minus infert, talia cornua dedecori fuiſſe, ſed addit modo aliquid ad humanæ formæ ſtatuam, h. m. *cornutum autem, & quidem cornutum.*

Pari ratione expoſitionem Perizonii ad *Lib. III. c. 26.* prætulerim emendationi viri docti l. c. p. 90. pro ὡς ſubſtituentis ὅς, quod eſſet pro οὗτος vel ἐκεῖνος, ut de ceteris nihil dicam.

CAPUT IV.

In Xenophontis Epheſiacis ἀνανοοῦντες convertitur in ἐννοοῦντες. Ibidem Pulcerrimi Diis ſimiles. προσεποιοῦντο emend. προσηύχοντο. Επιστᾶσα de Dei præſentia hominisque, etiam in ſomnio. Phraſis ἐν χρῷ illuſtrata. Briſſonius defenſus contra Miſc. Critica. Διηρκότες. Perſarum Rege præſente manus reconditæ, aut poſt tergum rejectæ. Similis mos Turcarum, Græcorum, Romanorum. Artemidorus emendatus. Ad Alciphronem Küſteri emendatio defenſa. Alciphron defenſus.

Eodem *Vol. III.* p. 97. Gratianus de S. Bavone *Stricturis* in *XENOPHONTIS EPHESII EROTICA*, ΑΝΑΝΟΟΥΝΤΕΣ novum vocabulum ſe inveniſſe putat, *animo verſantes & repetentes,*

tentes, quod etiam in Stephani Theſauro deeſſet; id vero vitio ſcriptum videtur pro ἐννοῦντες, quod ea ſignificatione ſatis frequens eſt, vide Lucianum *Tom. I.* p. 974. & p. 578. & hunc Xenophontem p. 49. Η δὲ ἐν οἵοις κακοῖς ἐγεγόνει, πάλιν ἐννοήσασα, & p. 43. ἐννοῦντες, ὅπως ὀπίσω ἐλεύσονται. Fruſtra quoque Vir doctus in iisdem *Miſcellaneis* ad an. 1739. p. 208. vel ἀνανοῦντες defenſum, vel in ἀνανεῦντες converſum vult, bona Critice invita.

XENOPHON ibidem, *Formoſiſſimos adoleſcentes Deos putabant*, ἄλλοι μὲν ἔλεγον ἐπιδημίαν ἐκ τῶν θεῶν, οἱ δὲ προσεκύνουν καὶ προσεποιοῦντο, quod pertinere putat Gratianus ad D. Lucæ Acta Apoſt. XIV. 11. at pertinet potius ad Act. VII. 20. ἀστεῖος τῷ Θεῷ, ubi *in Obſ. meis* dicta vide. Pulcerrimos homines ſcilicet Diis ſimiles cenſebant. Philoſtratus *Icon.* Lib. I. p. 788. ἔδει καὶ στολῇ θεῖόν τε ἀπολαμπούσῃ. Heliodorus *Lib. II.* p. 11. τὸ παιδίον αὐτόθεν μεγάτε καὶ θεῖον τῶν ὀφθαλμῶν ἐξέλαμπεν. *Ibid.* δαιμόνιον κάλλος. Merito autem p. 417. deletur nota, προσποιεῖσθαι hic ſumi pro *ſibi propitium reddere*, & ſubſtituitur προσηύχοντο; ego conjiciebam προσεπιτνοῦντο.

XENOPHON de muliere per quietem viſa, aſpectu truce: ΕΠΙΣΤΑΣΑ δὲ τὴν ναῦν ἐδόκει καίνειν, quod Interpres vertit: *viſa eſt navi inſtare.* Vir doctus l. c. ſic commentatur; " *Male. nam* ἐπιστᾶσα cum accuſandi caſu eſt *reprimens*, " *cohibens;* cum dativo autem conſtruere ſolent, quando *inſtare* notat. Atque recte hæc hactenus, ſed nihil quidem ad hunc locum; docendum fuiſſet, quid hic tandem τὸ ἐπι-

σᾶσα

ϛᾶσα ſignificaret. Nempe frequenter id vocabuli adhibetur de Diis hominibusque, præter expectationem, etiam in ſomnio, præſentibus. Lucianus *Hermotimo* in fine: ἐπιϛὰς τὸ τῶν τραγῳδῶν τȣ̃το, Θεὸς ἐκ μηχανῆς ἐπιφανεὶς. Idem *Apologia pro merc. cond.* p. 488. Ἀδράϛεια τότε κατόπιν ἐφεϛῶσα. Artemidorus *Oneirocrit. fine: Apollini* ἐναργῶς ἐπιϛάντι μοι. noſter Xenophon p. 16. Abrocomæ ἐφίϛαται γυνὴ ὀφθῆναι φοβερὰ τὸ μέγεθος, ubi recte quidem Vir doctus verbum intellexit in *Miſcell. ad a. 1739.* p. 214. ſed immerito ſomnum & ſomnium expreſſum & emendare voluit, *Abrocomæ* κοιμωμένῳ, cum id e re ipſa intelligatur, ut exempla allata oſtendunt. Plura attuli in Obſervat. meis ad Actor. 22. 11.

Phraſis ΕΝ ΧΡΩΙ qua Thucydides utitur Lib. 2. cap. 84. ἐν χρῷ ἀεὶ παραπλέοντες, admodum familiaris eſt Luciano. *De conſcribenda Hiſtoria* p. 619. τῶν ποταμῶν ἑκατέρωθεν ἐν χρῷ παραμειβομένων. καὶ μονονȣχὶ τȣ̃ τείχȣς ψαυόντων. Idem *Fugit.* p. 602. καί τις ποταμὸς μέγιϛος παραμείβεται, πάνυ ἐν χρῷ ψαύων. Hinc etiam de rebus proxime ſe contingentibus adhibetur: *Adverſus Indoctum* p. 380. ἡ ἐν χρῷ πρὸς τὰ βίβλια συνȣσία, *arctiſſima cum libris familiaritas.* Idem *Zeuxi* p. 581. ἐν χρῷ τῇ μητρὶ προσιϛάμενοι, *infantes cuti fere matris affixi.* Idem *Hermotimo* p. 508. χαμαὶ ἐν χρῷ τῆς γῆς. Syneſius eadem phraſi utitur *Epiſt.* p. 162. ἐν χρῷ γενέσθαι τȣ̃ κινδύνȣ. Dio Caſſius Lib. 74. p. 841. *in foro Romano* βῆμα ξύλινον ἐν χρῷ τȣ̃ λιθίνȣ, *tribunal ligneum pone lapideum extructum erat.*

Suidas, quem Waſſe etiam citat ad Thucydidem l. c.

 hoc

hoc dicendi genus *a tonſura usque ad cutim*, ἀπὸ τῆς κȣρᾶς τῆς ἄχρι τȣ̃ χρωτὸς, deſumtum eſſe putat; ſed in genere potius a cute deſumtum videtur, cui quæ adhærent, proxime adhærent & arctiſſime conjunguntur, quod e locis allatis apparet. Vir doctus in *Miſcell. Obſervat. Crit. Vol. III.* p. 152. in hac phraſi apud Appianum Alexandrinum *Lib. V. Bell. Civil.* p. 373. ἐν χρῷ παρὰ τὴν γῆν παρέπλεον, ex interpretamento τὸ παρὰ τὴν γῆν ortum eſſe putat; quod quidem veri ſpecie non caret, niſi quis ſic pleniorem eandem phraſin eſſe malit. Pollux ſane plenius dixit *Lib. II. cap. IX.* Segm. 113. ἐν χρῷ τῆς γῆς παραπλέοντες.

BARNABAS BRISSONIVS in doctiſſimo libro de *Regno Perſarum* Lib. I. c. 22. morem Perſarum enarrat, manus inſerentium, cum in Regum conſpectum incurrerent, auctore Xenophonte, qui Cyrum minorem ea de cauſſa Autoboiſacen (male legitur in Lederlini Briſſonii editione, Autoſacen) & Mitræum, ſororis Darii filios, interfeciſſe dicit, quod eo præſente manus intra manicam non continuiſſent, qui honor ſoli Regi Perſarum deberetur: ὅτι αὐτῷ ἀπαντῶντες ȣ̓ διέσωσαν διὰ τῆς κόρης τὰς χεῖρας, ὃ ποιȣ̃σι βασιλεῖ μόνῳ Lib. II. *Hiſt. Græc.* p. 454. Ad eundem ritum Briſſonius refert, quod de equitibus Xenophon commemorat Lib. VIII. de *Inſtit. Cyri* p. 214. Rege adventante, deſcendentibus de equis, καὶ ΔΙΗΡΚΟΤΕΣ ΤΑΣ ΧΕΙΡΑΣ διὰ τῶν κανδύων, ὥσπερ καὶ νῦν ἔτι διείρȣσιν, ὅταν ὁρᾷ βασιλεὺς, *atque per candyas manus inſerentibus, quemadmodum etiamnum inſerere ſolent, cum*

rex

rex aſpicit. Interpres verterat *exſertis*, improbante Briſſonio.

Toto hic coelo Briſſonium aberrare cenſet Vir doctus in *Miscell. Obſ. Crit. Vol. III.* p. 428. qui eum potius Perſarum morem in Xenophonte videre ſibi videtur, quo Rege præſente exſerere manus per manicas ſolerent, qua ratione ſeſe ejus ad nutum juſſa capeſſere oſtenderent promtos ac expeditos; de ritu autem, quem Briſſonius comminiſceretur, Xenophontem *ne per ſomnium quidem cogitaſſe*, ſatis fidenter pronunciat. Quam ob rem etiam pro διέσωσαν legit διέωσαν, *trajecerunt*, ſeu *exſeruerunt*, in eundemque ſenſum exponit διηρκότες τὰς χεῖρας & διείρȣσι.

Nihilo minus ego tamen Briſſonium multo meliora docuiſſe, Xenophonte accuratius inſpecto, putaverim. Quamvis enim Viri illius docti emendationem, διέωσαν pro διέσωσαν legentis, admitterem, quæ repudiari poſſet: non tamen, quod Vir ille vult & docere debebat, ſignificaretur *manus exſerere*; quemadmodum id nec τὸ διηρκότες τὰς χεῖρας ſignificat, ſed *inſerere, immittere, trajicere*, quamvis manus non promineant aut exſerantur, ut Budæus jam docuit, & plura ejus ſignificationis exempla ſupra Cap. II. p. 12. attuli. Nec, ſi Xenophontem audias, fieri potuit, ut manus per Coren amiculum exſererentur, cum illud longius eſſet manibus, quæ in manicas immiſſæ nihil facere poſſent. Sic ille enim loco priore p. 454. Coren deſcribit: ἡ δὲ κόρη ἐςὶ μακρότερον ἢ χειρὸς, ἐν ᾗ τὴν χεῖρα ἔχων ȣ̓δὲν ἂν δύναιτο ποιῆσαι. Xenophon

 deni-

denique eam prærogativam Regi duntaxat tribuit, ut manus exſertas haberet, cum proceſſu ſolemni prodiret, τὰς δὲ χεῖρας ἔξω τῶν χειρίδων εἶχε, de *Inſt. Cyri* Lib. VIII. p. 215. ceteris διηρκότες τὰς χεῖρας διὰ κανδύων habentibus, *ibid.* p. 214. Nempe κανδὺν & κόρην Perſarum amiculum ita concipio, ut humero dependentes manicas habuerit, quas vacuas interdum ſinerent, ut expeditiores eſſent; manus autem inſererent, cum ob frigus, tum modeſtiæ & honoris exhibendi gratia: quali amiculo etiam hodie Poloni utuntur, amictus & pompæ Turcarum & Perſarum perquam cupidi & ſtudioſi. Pollux Lib. VII. n. 58. de Candy: ἦν δὲ χειριδωτὸς χιτὼν, κατὰ τὲς ὤμες ἐναπτόμενος.

Errat etiam Vir ille doctus in cauſſa ritus aſſignanda. Rege præſente aut prætereunte non erat, quod manibus exſertis juſſa capeſſere promtos ſe & expeditos oſtenderent, potius autem, quod reconditis manibus modeſtiam cultum & reverentiam teſtarentur; maxime autem animum proderent ab inferenda vi alienum, quandoquidem manus longioribus manicis involutæ ἐδὲν ἂν δύναιντο ποιῆσαι, Xenophonte auctore *l. c.* Quam ob rem eo gravius in Darii filios Cyrus exarſit, quod liberis eos manibus & expeditis non modo debitum Regi honorem negare, ſed vim & ſcelus meditari viderentur. Ex eadem ratione circumactis poſt terga manibus adorare Regem Perſæ ſolebant Luciano teſte. *Navigio* p. 505. ὑποκύψας ἐς τὸ Περσικὸν, προσκυνῶ σε περιαγαγὼν

ἐς

ἐς τȢπίσω τὼ χεῖρε, τιμῶν τὴν τιάραν ὀρθὴν Ȣ̃σαν καὶ τὸ διάδημα. Perinde atque Turcæ Sultano præſente manus manicis inſertas & quietas continent, nec aliorum populorum legatos in conſpectum Sultani venire ſinunt, niſi coërcitis aut retractis poſt terga brachiis. Perſæ antiquo fere modo hodie adhuc Regem venerantur. (*)

Apud alias itidem gentes *modeſtiæ* indicium erat, *manus intra veſtem continere:* quomodo Solonem repræſentari, Æſchines putavit, Σωφροσύνης παράδειγμα, ἔισω τὴν χεῖρα ἔχοντα ἀναβεβλημένον, apud Demoſthenem *de falſa Legatione* p. 233. dicit hæc Aeſchines *Orat.* in *Timarchum* p. 174. ubi & manum extentam habere χεῖρα ἔξω ἔχειν dicit, uti Xenophon χεῖρας ἔξω τῶν χειρίδων ἔχειν. *Honoris itidem exhibendi* cauſſa manus ſic continebantur, Dio Chryſoſtomus *Orat. XXXVI.* p. 439. αὐτὸς πάνυ κοσμίως προσῆλθεν, ὑπὸ τὸ ἱμάτιον τὴν χεῖρα ὑποςείλας. Artemidorus *Oneirocrit. Lib. I. cap. 56.* p. 48. χρὴ γὰρ τὸν ἔφεβον ἐν τῇ χλαμύδι καὶ τὴν δεξιὰν ἐνειλημένην ἔχειν, διὰ τὸ ἀργὴν μὴ εἶναι, καὶ πρὸς ἔργα καὶ πρὸς λόγȢς τὴν χεῖρα; jam notavit Rigaltius μὴ tollendum, ut Suidas quoque hæc verba citavit, quæ Polybio male adſcripſit Valeſius in fragment. p. 1554. ego vero rectius μὴ in μὲν convertendum exiſtimem, ut e contextu apparet. Egregie autem Artemidorus Xenophontem illuſtrat, quod eam manus intra togam cohibitionem

(*) Chardini teſtimonium pro eodem Perſarum more advocat ad Luciani l, c, Moſes Solanus,

tionem *abſtinentiam* docuiſſe dicit à *labore*, διὰ τὸ ἀργὸν μὲν εἶναι πρὸς ἔργα τὴν χεῖρα, perinde ut Xenophon l. c. dixerat, manum ſi quis intra coren habeat, ὀυδὲν ἂν δύναιτο ποιῆσαι. Apud Romanos quoque ephebis *annus erat ad cohibendum brachium toga conſtitutus*, Cicero pro *Coelio* cap. 5. ubi Abramus plura, & Græviuis Valeſii notata repetit ad Polybium.

ALCIPHRON Lib. I. Epiſt. III. p. 16. Ηκουσα ἑνὸς τῶν ἐν τῇ ποικίλῃ διατριβόντων ἀνυποδήτων καὶ ἐνερόχωτος ςιχίδιον ἀποφθεγγομένου. Vir doctus in *Miſcell. Obſ. Crit.* Vol. IV. p. 446. emendat ἀνυποδήτου; verum rectius Kuſterus jam emendaverat ἐνεροχρώτων ad *Nubes* Ariſtophanis v. 103. Sic facilius cetera fluunt. Sæpius autem Philoſophi tanquam ὠχροὶ, quod idem atque ἐνεροχρῶτες, καὶ ἀνυποδητοὶ exagitantur a Luciano, vide eum *Icaromenippo* p. 189. *Fugitivis* p. 603. ἄνυπόδητος ἐν τριβωνίῳ occurrit apud Dionem Chryſoſtomum p. 612. Alciphron *Lib. III. Epiſt.* 14. ἀλάζονας ἐκείνους τοὺς ἀνυποδήτους καὶ ὠχριῶντας.

ALCIPHRON Lib. I. Epiſt. VIII. p. 30. Τρέφει γὰρ οὐδὲν ἡ θάλασσα. Neſcire ſe dicit Vir doctus *l. c.* p. 448. an mare dici poſſit οὐδὲν τρέφειν, pro οὐδὲν πρὸς τροφὴν παρέχειν, igitur ſcribit φέρει, *nihil nobis emolumenti affert.* Ego vero non dubitem. Piſcator hic ſui ratione mare nihil alere conqueritur, quia nihil ad capiendum præbebat, τὰ ἡμέτερα, ſubjicit, ὡς οἶσθα, παντελῶς ἐςὶν ἄπορα, ſibi igitur nihil mare alebat, cum nihil inde in ejus commodum cederet. Alias Syneſius oſtendit, ὅτι δύναται τρέφειν ἀνθρώπους καὶ θάλαττα, &

καλὸν

καλόν τι αὐτόθι τρέφεσθαι καὶ ἐδώδιμον, *Epiſt.* 147. *p.* 285.

Immerito idem ille Vir doctus in ſequentibus apud Alciphronem verbis, Κωρύκιον τὸ σκάφος, λῃςαὶ δὲ θαλάσσης τὸ ἐν αὐτῇ σύςημα, emendat: Κωρύκιόν τι σκάφος, cum ſequens τὸ ἐν αὐτῇ, aut potius ἐν αὐτῷ σύςημα, præcedens illud τὸ σκάφος ſatis tueatur. Nec δὲ poſt λῃςαὶ quidquam hic turbat, ut idem exiſtimabat, dum modo vertas *itidem*, ſi nolis *autem*, ἐςὶ autem & εἰσὶ utrobique ſubauditur.

Reliquæ Viri illius emendationes in Alciphronem aut leves ſunt, aut Minerva minime propitia ſuſceptæ, ut facili opera oſtendi poſſet.

CAPUT V.

Ariſtides explicatus contra Lamb. Bos, & Abreſch. τίς γένωμαι; eſt conſilii inopis. Ariſtides defenſus contra Clar. Jebb. Ariſtides iterum defenſus, χώρα τῆς φωνῆς expoſita. Ariſtides Oratione in Minervam explicatus. Ἐφάψαι λόγȣ ibid. αἱ γόναι τȣ̃ Θεȣ̃. Diſcrepantia generis Adiectivi & Subſtantivi. Ἀναπνεῖν εἰς Δία explicatum. Locus Ariſtidis obſcurus tentatus, & expoſitus contra Vir. Cl. Memorabilis Ariſtidis locus expoſitus contra Vir. Cl. Νόμος hic Lex eſt, non Præfectura. Minerva armorum diſciplinam tradidit Athenienſibus & Aegyptiis. Ariſtides defenſus. Nominativus abſolutus etiam ſequente Dativo. Ariſtides expoſitus.

ARISTIDES *Hymno in Jovem* circa initium: Καί τοι πρὸς αὐτῷ γινόμενος, ȣ̓κ ἔχω τίς γένωμαι. Canterus vertit: *Enim vero poſtquam in rem præſentem veni, omnino, quid agam neſcio.* Diſplicet

cet ea verſio Lamberto Bos *Animadverſ. in Script. Græcos* Cap. XVI. p. 70. qui vertit: *Licet, quum id agerem*, (h. e. quum votum illud facerem) *quid egerim neſciam.* Sequitur nuperus Ariſtidis editor, ut & Cl. Abreſch in *Miſcell. Obſ. Crit. Vol. V. p.* 227. At immerito, ut putem. Πρὸς αὐτῷ referri non poteſt ad votum, ejus enim in proxime præcedentibus nulla mentio apparet. Orationem quidem ipſam Ariſtides his verbis auſpicatur: Τὰ δὲ κατ' εὐχὴν, ad illa tamen τὸ πρὸς αὐτῷ minime quadrat. Nempe πρὸς αὐτῷ pertinet ad τῷ τε λόγῳ, *præſentem orationem*, quod propius præceſſit, locus autem melius vertitur: *quanquam cum in illa* (ſcil. oratione elaboranda) *ſim, neſcio quid faciam.* Conſilii nempe inops hærebat, ut e contextu apparet, quomodo votum de oratione in laudem Jovis elaboranda, in periculo maris, cum vix mentis eſſet compos, ſuſceptum exſolveret, rei pondus & difficultatem, cum ad ſe rediiſſet, manumque operi admoviſſet, expertus. Τίς γένωμαι eſt conſilii inopis & de exitu anxii. Lucianus *Dialog. Meretr.* p. 538. Τίς γένωμαι; πῶς ἄν με ἡ γῆ καταπίοι;

Quæ apud *ARISTIDEM* ſequuntur: Ἀλλὰ νῦν μοι δοκῶ καὶ σφόδρα μανθάνειν, ὡς τελέως ἄρα ἐκινδύνευον, καὶ ἐκ ἐν ἐμαυτῷ ἦν ὑπὸ τῆς θαλάτῆς, κατὰ τοιέτων εὐχόμενος, ſatis recte vertuntur: *Quin*, aut *Equidem, nunc demum re vera cognoſco, me in ſummo verſatum eſſe diſcrimine, nec fuiſſe præ tempeſtate mentis compotem, qui talia voverim.* Οὐκ ἐν ἐμαυτῷ ἦν, *non eram apud me*, ejus eſt, qui exiit e poteſtate mentis, conſilii

&

& rationis inops. Alciphron Lib. 3. epiſt. 1. p. 274. Ουκ ἐτ' ἐιμὶ ἐν ἐμαυτῇ, quod ſequens epiſtola exponit per ἀληθῶς ἐξέϛης. Contra de eo, qui ad ſe rediit, & reſipuit, Xenophon de *Exped. Cyri* p. 258. dixit, ἐν ἑαυτῷ γινόμενος, ut & Polybius Lib. I. c. 49. Plutarchus *de ſera Numinis vindicta*: Παρ' ἑαυτῷ γενόμενος p. 563. Heliodorus Lib. II. p. 68. ἐις ἑαυτὸν γενόμενος. Terentius *Andria Act. 5. Sc. 4. v. 34. Vix ſum APUD ME: ita animus commotu'ſt metu.* ſic & *Hecyra* Act. 4. Sc. 4. v. 85.

ARISTIDES l. c. p. 2. edit. Oxon. Πόθεν ἀρχόμεθα; τί τολμήσομεν ἐιπεῖν περὶ Διός; Cl. Jebb in notula ſubiecta mavult ἀρξόμεθα, ut mox τολμήσομεν, probante Viro docto in *Miſcell. Obſ.* l. c. Sed tueri omnino τὸ ἀρχόμεθα ſuum locum poteſt: conſimili modo Lucianus *Dialogis Meretr.* p. 538. dixit τί ποιῶ; ſequi itidem poteſt τολμήσομεν, quamvis præceſſerit τὸ ποιῶ, ſalvis Græcæ linguæ rationibus. Sic diverſa tempora idem Ariſtides junxit initio *Monodias in Smyrnam.* Ω Ζεῦ τί χρήσωμαι; πότερον σιωπῶ. plura congeſſit ad Thucydidis Lib. 2. cap. 43. p. 125. Dukerus.

ARISTIDES l. c. p. 6. Jovem Δία appellari docet, quod auctor & cauſſa omnium rerum, omniaque δι' ἀυτὸν eſſent. Ζεὺς μὲν γὰρ, ὅτι ζωῆς τε καὶ ȣσίας ἑκάϛοις ἐϛὶν ἄιτιος, κέκληται ἡμῖν, addit, ἄυθις δὲ καθ' ὃ ἀιτιώμενοι τινὰς ὀνομάζομεν, κατὰ ταύτην τὴν χώραν τῆς Φωνῆς, ὁμώνυμον ἀυτὸν ἐποιήσαμεν τῷ τῆς ἀιτίας ὀνόματι Δία προσαγορεύσαντες. Emendare hunc locum conatur Editor Oxonienſis, qui pro χώραν τῆς Φωνῆς

 mavult

mavult χρείαν vel χρῆσιν, Vir autem doctus in *Miſcell. Obſ.* l. c. p. 232. in phraſi χώρα τῆς φωνῆς fluctuat, modo vertens *proprietatem linguæ*, uti diceretur ἐπιχώριος *vernacula lingua*; modo *conceptaculum* ſeu *continentia linguæ*, quod, quid hic ſignificet, me videre non poſſe, fateor. Pro τινὰς itidem legit τινὸς, refertque ad Jovem, atque vertit: *& rurſus quatenus ei cauſſam alicujus rei attribuentes vocamus.*

Non putem, Æſculapio hic opus eſſe, dummodo verba rectius accipiantur, & vertatur: *Deinde, quemadmodum nonnullos a cauſſa illis adſcripta nominamus, ſecundum hanc rationem linguæ, cauſſæ efficienti cognominem eum facimus,* Δία *appellantes, quoniam per eum ſunt omnia* δι' αὐτοῦ ἅπαντα. Τινὰς ſervari debet ob ſitum ordinemque verborum. Χώραν autem φωνῆς, *locum, regionem* & *ſedem linguæ*, appellat indolem, ingenium & rationem linguæ, hic a cauſſa efficiente nomina imponentis. Simili ſenſu uſurpaſſe χώραν λόγου videtur *Orat. in Minervam* p. 12. ἐχέτω δὲ χώραν διττὴν τῷ λόγῳ, *habeat duplicem rationem.*

ARISTIDES Orat. in Minervam initio: Σὺ δὲ ὦ δέσποινα Ἀθηνᾶ, τήντε ἄλλην δίδου τύχην καὶ χάριν, καὶ τοῦ παρόντος ΕΦΑΨΑΙ ΛΟΓΟΥ, τά τε φανθέντα τέλει πρὸς τὴν ἀξίαν. Obſcurum eſt Viro docto *Miſcell. Obſ. Crit. Vol. V. p.* 236. utra lectio præferenda, utrum ἔφαψαι λόγου, quod in textu exſtat, an infinitivus ἅψασθαι, quem MS. Baroccianum exhibet. hunc tandem præfert, ſic tamen, ut ἐφάψασθαι exaretur; idem confirmat in Addendis *Vol. V. Tom. III.* p. 101. Scilicet

cet ἔφαψαι activum, ut ajunt h. l. eſſe credidit: hinc addit, ex perpetuo Ariſtidis uſu nonniſi ἅψασθαι & ἐφάψασθαι λόγε dici, quare ἐφάψαι ſuſpectum eſſe deberet. Atqui nullam ego hic obſcuritatem video: ἔφαψαι eſt Imperativus Medii, ut ἅψασθαι & ἐφάψασθαι Infinitivi ſunt Medii. Imperativum illum autem hic omnino præferendum cenſeo, quandoquidem Imperativi antecedunt τὸ ἔφαψαι, & ſequuntur, & preces concipiuntur, quæ Imperativo efferri ſolent, h. m. *Tu vero, Domina Minerva, cum aliam fortunam & gratiam da, tum præſentem orationem capeſſe*, h. e. *ſuſcipe, adjuva, & ſomnia perfice!* Tales fere preces in fine Orationis repetit: Δίδε δὲ ἀκρὸν φρονεῖν καὶ λέγειν, & initio Orationis *in Jovem* precatur: τῷ τε λόγῳ ἐπάρκεσον καὶ παράπεμψον, quod idem eſt atque hic ἔφαψαι λόγε. Diis itidem homo ſuperſtitioſisſimus non modo mandatum & argumentum orationum tribuit, ſed & elaborationem & recitationem, vide initium *orationis in Aſclepiadas* p. 4. & *in Sarapin* p. 50. 51. præſentes etiam ſibi dicenti Deos adeſſe, vanisſime gloriatur, vide *in Æſculapium* fine.

ARISTIDES ibid: Omnia præclara ſunt apud Minervam & e Minerva, ἐν δὲ τοῖς ἀξιολογώτατον αἱ ΓΟΝΑΙ ΤΟΥ ΘΕΟΥ, vulgo exſtabat εἶναι τῆς Θεε, κεφάλαιον μὲν ἓν εἰπεῖν, ὅτι τε πάντων δημιεργε καὶ βασιλέως παῖς ἐςὶ, μόνη δὴ μόνε. Recte pro εἶναι τῆς Θεε Oxonienſis e MS. edidiſſe videtur γοναὶ, at τῆς e priore ſcriptura conſervare mavult Vir doctus *Miſc. Obſ.* l. c. vertitque *Deæ nativitas*, cum incommode in Oxonienſi ad Jovem relatum vertatur *Dei partus*. Qua quidem in re

 parum

parum difficultatis video, ſiquidem αἱ γοναὶ etiam de *nativitate* & *natalibus* occurrit *hac Orat.* p. 13. ἄυτη δὲ τῇ Αρτέμιδι λοχεία ΠΡΟΣ ΤΑΣ ΓΟΝΑΣ ἡ Θεὸς γεγένηται. Et *monodia in Smyrnam* p. 260. Tom. I. Ομήρȣ γοναὶ *Homeri natales*. Lucianus *de Saltatione* τὰς Διὸς γονὰς p. 814. Αφροδίτης γονὰς p. 801. ut apud Philoſtratum *Icon.* Lib. I. Cap. XXVI. p. 800. ΕΡΜΟΥ ΓΟΝΑΙ occurrunt, & ΑΘΗΝΑΣ ΓΟΝΑΙ *ibid.* Lib. II. cap. 27. p. 852. Ariſtides tamen γοναὶ etiam Jovi tribuit ſignificatione *partus. Orat. in Bacchum* p. 29. ἀυτὸς δὲ ἀναλαβὼν ΤΑΣ ΑΥΤΟΥ ΓΟΝΑΣ, ἐῤῥαψάμενος τῷ μηρῷ ἐφόρει δέκα μῆνας, *ipſe vero partum ſuum femori inſutum decem menſes geſtavit.* & *Orat. in Herculem* p. 31. βȣλόμενος τῆς ἀυτȣ͂ φύσεως ὅτι πλεῖςον καὶ ἀκριβέςατον ἐις ΤΑΣ ΓΟΝΑΣ καταθέσθαι. Apud Euripidem *Medea* v. 1136. filii e Medea geniti: indicantur.

Ἐπεὶ τέκνων σῶν ἦλθε δίπτυχος γόνη.

Igitur, cum hic de partu & foetu Jovis ſermo ſit, Minervam e capite in lucem edentis, atque continuo non modo ſequatur, ὅτι τȣ͂ πάντων δημιȣργȣ͂ καὶ βασιλέως παῖς ἐςι, verum etiam, ἀυτὸς ἐξ ἀυτȣ͂ γεννᾶ τὲ καὶ τίκτει τὴν Θεόν, κ. τ. λ. recte dici exiſtimem ΑΙ ΓΟΝΑΙ ΤΟΥ ΘΕΟΥ.

Sine ratione tamen idem Vir doctus in verbis Ariſtidis *Orat. in Jovem* p. 6. Ζεὺς ἔπεμπεν ἐις τȣ̀ς ἀνθρώπȣς Ἀιδῶ καὶ Δίκην μετὰ τῶν ἄλλων Θεῶν, ΕΠΙΜΕΛΗΣΟΜΕΝΟΥΣ ἀνθρώπων, καὶ φυλάξοντας ἀυτοῖς τὸν βίον, *Syllepſin generis* videre ſibi videtur, *qua vix audaciorem alibi obſerves*: Idem enim eſt, atque ſi ſcriptum eſſet, Ἀιδῶ καὶ Δίκην καὶ τȣ̀ς ἄλλȣς Θεȣ̀ς.

In

In utraque autem lingua genus maſculinum dignius cenſetur foeminino, ut Grammatici loqui ſolent. Attici præſertim ejusmodi conſtructiones amant, ut a Viris doctis abunde oſtenſum, vide etiam Interpretes ad *Thucydidem* Lib. II. p. 127. & has *Obſervationes Criticas* Vol. III. p. 151. Pauſanias Lib. IV. p. 356. Πύργον δὲ καὶ ΕΠΑΛΞΕΙΣ εἰσὶν ΕΝΩΚΟΔΟΜΗΜΕΝΟΙ. Apud Deos itidem Maſculinum prævalet præ Foeminino: unde etiam Deæ appellantur Θεοὶ, atque ſub eo genere comprehenduntur. Ex eadem ratione Dii Deæque Θεοὶ μεγάλοι, μέγιςοι, συμμάχικοὶ, σωτῆρες, apud auctores & in marmoribus litteratis occurrunt, vide Gruterum f. 1083. 5. Ipſe Vir doctus Herodotum attulit Lib. VIII. cap. XI. ἔχοντες περὶ ἑωυτοὺς δύο ΘΕΟΥΣ ΜΕΓΑΛΟΥΣ Πειθώ τε καὶ Ἀνάγκην. Photius in *Bibliotheca* e Procli *Chreſtomathia* p. 990. Χαριςήρια ἀποδιδοὺς ΑΘΗΝΑΙ καὶ ΔΙΟΝΥΣΩΙ, ΟΙ αὐτῷ ἐφάνησαν.

Latini eandem audaciam, quæ aliis elegantia & venuſtus loquendi videretur, imitantur: Ovidius *Lib.* 4. *Faſt.* v. 54.

ILIA CUM LAUSO de Numitore SATI.

Salluſtius *Lib.* 3. *Hiſt.* p. 965. *DUX hoſtium C. Herennius CUM URBE VALENTIA & exercitu DELETI*, quam Latinitatem plurimis exemplis firmauit Cortius ad Catilinam Salluſtii cap. 43. Livius Lib. 42. 20. *TAURUM* cum quinque *VACCIS* uno ictu fulminis *EXANIMATOS*, plura poſt Gronovium affert ad Liv. L. 21. cap. 60. Cl. Drakenborch.

ARISTI-

ARISTIDES ibidem p. 10. de Minervæ cum Jove arctiſſima conjunctione: Ἀεὶ πάρεςί τε καὶ συνδιαιτᾶται, καθάπερ συμπεφυκυῖα, ΑΝΑΠΝΕΙ ΤΕ ΕΙΣ ΑΥΤΟΝ, καὶ σύνεςι μόνη μόνῳ. Offendunt verba ἀναπνεῖ ἐις ἀυτὸν Editorem Anglum, qui mallet ἀναπαύει, quod merito quidem repudiat Vir doctus in *Miſcell. Obſ.* l. c. p. 238. ſed dubitanter admodum & mirifice exponit, *ſufflando ad eum ſpiritum ducit.*

Retineri poſſe videtur ἀναπνεῖ ἐις ἀυτὸν, *reſpirat in eum*, ſcil. Jovem, cum quo tam arcte Minerva conjuncta ſit, ut arctius non poſſit, ex eo ſcilicet vitam habens, in eoque manens. Ut enim ceteri mortales reſpirant in aërem ſe ambientem, ἐις τὸν ἀέρα ἀναπνέομεν Polux Lib. 2. cap. 4. n. 76. e quo ſpiritum quoque ducunt: ſic in Jovem Minerva, συμπέφυκυῖα, quæque patrem, ut modo dixerat, nunquam relinquere poſſet, ſed, quod notandum, *ſemper in Jove maneret.* Ita Proclus in Timæum Lib. I. p. 51. *Omnes eam Theologi vocant* Ἀθηνᾶν, ὡς μὲν ἀπὸ τῆς κορυφῆς τȣ̃ Πατρὸς τικτομένην καὶ ἐν ἀυτῷ μένȣσαν. Fieri igitur non poterat, quin Minerva, cum in Jove patre eſſet, etiam *in eo & in eum reſpiraret:* præſertim ſi meminerimus, Jovem ſæpe pro æthere & dio ſumi.

Alias leviori ratione locus emendari poſſe videretur, expuncto nimirum ἐις, ut eſſet ἀναπνεῖ ἀυτὸν, *ſpirat Jovem*, ut Philoſtratus dixit *Icon.* Lib. II. p. 810. δοκεῖ δέ μοι καὶ Σαπφȣ̃ς τι ἀναπνεῖν. Idem *de vitis Sophiſtar. Lib. I.* p. 515. μηδὲν ἀπ' ἀυτοσχεδίȣ γλώττης ἀναπνέοντες. Heliodorus Lib. II. p. 92.

ἀνέ-

ἀνέπνευσε τὴν φυγὴν, *reſpirabat fugam*. Idem Lib. I. p. 124. *τὸν ἀέρα εἰσπνεῖν*, quod ad ante dicta potius pertinet.

Jam oſtendi idoneis argumentis in *Obſervat.* meis ad Joh. V. 19. Profanos recentiores, & Ariſtidem maxime, ea Diis ſuis & Minervæ in primis tribuere, quæ de Chriſto, Dei Filio, Chriſtianos prædicare audirent; quod & ſuboluiſſe nunc tandem video Cl. Jebbio, Ariſtidis nuperrimo editori p. 534. Verba autem hæc, *ἀναπνεῖ εἰς αὐτὸν*, pertinere ad Joh. VI. 57. putavi, ubi Chriſtus dicit: *Ἐγὼ ζῶ δία τὸν Πατέρα*, cujus obſervationis me nondum poenitet; locum Procli autem ante citatum referrem ad Joh. XV. 40. Nero apud Dionem ad matrem Agrippinam, *ἐν γάρ σοι καὶ ἐγὼ ζῶ, καὶ διά σε βασιλεύω* *Lib.* 61. p. 695. conf. Act. 17. 28. Amantis etiam eſt vocabulum *ἀναπνεῖν* apud Pollucem *Lib.* 3. *cap.* 8. §. 68. qui vivere & ſpirare ſine alio non poteſt, & in illo tantummodo vivere & ſpirare videtur.

ARISTIDES ibid. *Οἷα δὲ ἐν αὐλῇ θαυματοποιῶν ἅμα τοῖς αὐτοῖς ὅ, τε Ζεὺς καὶ ἡ Θεὸς χρῆται.* Locus revera eſt obſcurus & corruptus, ut quoque judicavit Vir doctus *Miſcell. Obſ. cit.* qui vero reſpici putat ad præſtigiatores ſeu circulatores in conviviis, voluptatis & convivarum exhilarandorum ergo, adhiberi ſolitos, atque *αὐλὴν* ſumi pro *triclinio*, vertitque: *Prorſus ut in triclinio præſtigiatricem artem exercens Jupiter ſimul atque Minerva iisdem armis utuntur.* Multa hic diſplicent. Jupiter & Minerva parum honorifice *præſtigiatores* appellarentur, quos tamen hymnis & orationibus ſuis orna-

 tiſſimos,

tiſſimos, & in coelum, ut ajunt, evectos Ariſtides cupit. Male etiam τὸ αὐλὴ ſic ſimpliciter poſitum *triclinium* exponitur, idque præſtigiatoribus in primis aſſignatur: perperam his etiam univerſis eadem arma tribuuntur.

Mihi initio quidem emendandum videbatur: Οἷα δὲ ἂν ἄλλῃ θαυμαςὰ ποιῶν, *quæ autem & alibi* (præter bellum Homericum) *admiranda facit*, iisdem *mediis*, *inſtrumentis* utitur, ὅπλοις e præcedenti repetito: ita Oxonienſis e MS. legit pro θαύματα ποιῶν. Apud Ariſtidem l. c. p. 14. κάλλη θαυμαςὰ Minervæ tribuuntur, & de Hercule p. 34. *Orat. in Eundem*, dicitur θαυμαςὰ οἷα ἐργάζεται.

Poſtea tamen ἐν αὐλῇ retinendum duxi, ita ut *coelum* deſignetur Jovis *aula*, ut Homerus coelum αὐλὴν appellavit, quem ſequi ſe ea in re Ariſtides dicit *Oratione in Neptunum* p. 22. Καὶ τῦτ' ἐγὼ καὶ ἀρχεῖα Ποσειδῶνος καλῶ, καὶ βασιλείαν καὶ αὐλήν· ὥσπερ Ὅμηρος τὴν Διὸς αὐλὴν ὠνόμασε καὶ ὁρμητήριον. ut Lucianus quoque *Pſeudologiſta* p. 442. τὴν Διὸς αὐλὴν dixit. Minervæ potentiam ſummam eſſe in coelo & in terra, Ariſtides addit: κράτος τῆς Θεῦ ἐν ὀρανῷ καὶ γῇ, quæ & *angelis* imperet, immo *omnia opera cum Jove communia*, πάντων κεκοινώνηκε, confer Callimachi Hymnum *in Palladem* v. 132. 133. ibique Interpretes.

ARISTIDES l. c. p. 12. Ægyptios a Minerva armaturam edoctos dicit, cujus rei teſtimonium eſſet in ipſa Ægypto: Ἐςὶ γὰρ καὶ κατ' Αἴγυπτον Ἀθηνᾶς νόμος ἱερὸς; ᾧ ταῦτα ἀνακεῖται. Vir doctus *Obſ. Miſcell. Crit.* l. c. p. 241. legit Νομὸς,

μὸς, & de *præfectura* Ægypti commentatur, uti etiam in Oxonienſi vertitur, qualem tamen Minervæ ſacram fuiſſe, alibi ſe legere non recordatur; forte intelligi deberet de Saitica, de qua Strabo & Holſtenius *ad Stephanum Byzantinum*. Hactenus ille. Verum enimvero nec Præfectura illa Saitica dicitur *Minervæ ſacra*. ſequentia etiam, ᾧ ταῦτα ἀνακεῖται, *cui hæc tribuuntur*, uti nullo ſenſu vertitur, ad præfecturam non pertinent. Ariſtides aperte loquitur de νόμῳ ἱερῷ, *lege ſacra apud Ægyptios*; atque omnino reſpicit ad Platonis *Timæum* p. 524. 525. ubi Ægyptius ſacerdos Solonem docet, Minervam ut alias leges, ſic militares & uſum armorum Ægyptiis æque atque Athenienſibus tradidiſſe, & *lege* caviſſe, ut milites militaria duntaxat tractarent. En verba illius: Καὶ δὴ τὸ μάχιμον γένος, ᾔσθησαί πȣ τῇδε, ἀπὸ πάντων τῶν γενῶν κεχωρισμένον, οἷς ȣ̓δὲν ἄλλο πλὴν τὰ περὶ τὸν πόλεμον ΥΠΟ ΤΟΥ ΝΟΜΟΥ προσετάχθη μέλειν. Ἔτι δὲ ἡ τῆς ὁπλίσεως αὐτῶν σχέσις ἀσπίδων καὶ δοράτων, οἷς ΗΜΕΙΣ ΠΡΩΤΟΙ ΤΩΝ ΠΕΡΙ ΤΗΝ ΑΣΙΑΝ ΩΠΛΙΣΜΕΘΑ, ΤΗΣ ΘΕΟΥ καθάπερ ἐν ἐκείνοις τοῖς τόποις, παρ' ὑμῖν πρώτοις ΕΝΔΕΙΞΟΜΕΝΗΣ. appone nunc verba apud Ariſtidem l. c. præcedentia, e Platonis fonte hauſta videbis, dicit enim ὁπλῖται γὰρ καὶ ἱππεῖς τῶν Ἀθηνᾶς εὑρημάτων ἐςί. διττὰ δὲ ἑκατέρȣ μαρτύρια, τῶν μὲν ὁπλιτικῶν Αἰγύπτιοι μὲν τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν, οἱ δὲ ἐπώνυμοι τῆς Θεȣ͂, τῶν ἐπὶ τῆς Ευρώπης πρῶτοι παραβαλλόμενοι τὴν ἀσπίδα. Frequens itidem apud Platonem l. c. mentio ſit *legum*, νόμων, a Minerva, quæ apud Ægyptios Νηὶθ appellaretur, datarum;

 quæ,

quæ, ut alia memoratu digna, in templis ſervarentur, Πάντα γεγραμμένα ἐν τοῖς ἱεροῖς καὶ σεσωσμένα, confer Proclum *in Timæum* p. 29 ſeqq. In Græcia etiam leges in templis ponebantur, vide Petiti *ad Leges Atticas præfationem*, & Dion. Chryſoſtomum *Orat.* 80. p. 667. Unde etiam Ariſtides eam armorum doctrinam, νόμον ἱερὸν, *legem apud Ægyptios ſacram*, ad Minervam referri, aut ei dedicari dicit, ᾧ ταῦτα ἀνακεῖται, *qua hæc tribuuntur* ſc. Minervæ, quæ enim Diis tribuuntur & conſecrantur, Θεοῖς dicuntur ἀνακείμενα Pollux Lib. 1. cap. 20.

Fit νομȣ̃ Σαϊτικȣ̃ quidem mentio apud Platonem p. 524. cujus præcipua urbs eſſet Σαΐς, a Minerva condita, ſed etiam, & ſæpius quidem νόμȣ & νόμων *legum Minervæ*. Cur hic etiam *præfecturæ* meminiſſet Ariſtides, cum Ægyptiis in genere omnibus armorum uſum legesque Minerva tradiderit? Si aliquid denique apud Ariſtidem innovandum eſſet, legerem pro νόμος, λόγος. De Saitica autem præfectura pervulgata ſunt, quæ præter Herodotum & Plutarchum, Platonem & Proclum, etiam Philoſtratus habet *Epiſt. LXX. Apollonii* p. 406.

ARISTIDES l. c. ΤΡΙΠΤΟΛΕΜΟΣ δὲ Ἐριχθονίȣ νεώτερος, εἴη δ᾽ ἂν καὶ ΤΟΥΤΩ τὰ μὲν σπέρματα παρὰ τῆς Δήμητρος· τὸ δὲ ἅρμα παρὰ τῆς Ἀθηνᾶς. Ad hæc Vir doctus l. c. p. 242. „Hæc ego ſana præſtare non auſim, quod ſi tamen „ contra opinionem ſint, erit inſigne ἀκόλȣθον. Sana vero illa ſunt, & ſatis vulgaris eſt in Græca lingua Nominativus ejus modi abſolutus, quem etiam Pronomen ſequitur tertio

caſu,

caſu, uti Actor. Apoſt. VII. 40. Ὁ γὰρ ΜΩΣΗΣ ΟΥΤΟΣ, ὃς ἐξήγαγεν ἡμᾶς ἐκ γῆς Αἰγύπτου, οὐκ οἴδαμεν, τί γέγονεν ΑΥΤΩι. Sic Joh. XVII. 2. ubi plura ex utraque lingua *in Obſervationibus* attuli. Multa etiam afferunt Æliani Interpretes ad *Lib.* 2. *cap.* 11. &c. Thucydidis item, & Cl. Taylor ad Lyſiam.

ARISTIDES p. 15. de Perſeo, Minervæ beneficio ſervato: Αὐτὸν δ' ἀπαθῆ διαφυγεῖν εἰς τέλος. ultima vertit Vir doctus l. c. *perpetuo*, additque: *ut fere ſemper* εἰς τέλος *ſumi ſolet.* Haud putem, hæc probari poſſe: εἰς τέλος ſæpisſime ſignificat *plane*, *perfecte*, *omni modo.* Ariſtides *Palinodia in Smyrnam* p. 264. οὐχ οἷοντε ἀμοίρους κακῶν εἰς τέλος διεξελθεῖν. Lucianus *ſomnio* p. 7. *ego tibi jam nota ſum*, εἰ καὶ μηδέπω εἰς τέλος μου πεπείρασαι, plurimis exemplis Raphelius idem docuit ad Luc. XVIII. 5.

ARISTIDIS verba denique l. c. τὸ τῆς Ἀθηνᾶς μέρος ἡ Θεῶν ἀγορὰ, πάντ' ἐστὶ τὰ πράγματα, mire vertit poſtrema *Omnia reliqua*, cum ſint *opera*, *res geſtæ* Deorum. Ut enim maximas Minervæ partes in univerſa Deorum concione, ſic & in rebus eorum geſtis Ariſtides ea Oratione tribuerat, quæ Deos, e. gr. Herculem, in concilium Deorum produxerit, ei, ut & aliis ibidem memoratis, conſilio & ope adfuerit, adeo, ut eorum opera ſuo quodam jure Minervæ adſcribenda viderentur.

 CAPUT VI.

CAPUT VI.

In Xenophontis Epheſiacis exponitur ὅρος ἡλικίας contra Vir. Doct. Pueri vaticinantes apud Apidem jam citati in Obſervat. meis. Proverbium ὡς εἶναι (κατὰ) Σάγραν τὰ λεχθέντα. Arriani Epictetus defenſus. Coma flava Achillis. Feſti vexatiſſimus locus *Tacpocon* tentatus, contra Virorum doctorum conjecturas. Vindicatur Herodotus & explicatur contra D'Arnaud. τῇ ἡμέρῃ *die illa, certā, ſtatuta*. Herodotus iterum & tertium vindicatus, & expoſitus contra Eundem. Cadaveris Regis Scytharum circumgeſtatio, Xenophon explicatus contra Eundem. δὴ ἦγε.

XENOPHON *Epheſiac. Erot.* p. 65. Ἔρως ἀληθινὸς ὅρον ἡλικίας ἐκ ἔχει. Caſum ἡλικίας hic depravare venuſtatem ſententiæ cenſet Vir doctus Vol. VI. *Obſ. Miſcell. Crit.* p. 339. legendum enim ἡλικίαν, *verus amor terminum non habet ætatem humanæ vitæ, ſed ultra mortem durat.* Sed ob eam quidem venuſtatem manere caſus ille poteſt. Idem enim eſt ὅρον ἡλικίας ἐκ ἔχει, terminum ætatis non habet, & terminum ætatem non habet, i. e. nulla ætate & temporibus circumſcribitur. Pauſanias *Corinthiacis* Cap. XXXVII. p. 200. ἐδὲ ἔτος ἐδένα ἐξευρεῖν ἐδυνήθη ὅρον τῦ βάθους.

XENOPHON l. c. p. 69. Ὁ Θεὸς τοῖς βελομένοις μαντεύει. Ad h. l. Vir doctus l. c. p. 341. de Apidis oraculo & pueris vaticinantibus commentatur, atque Ælianum, Plutarchum, Ariſtidem affert, quos ego eadem de re attuleram in *Obſervat.* Tom. I. p. 94. Ibidem etiam Æliani locum, ὡς εἶναι Σάγραν τὰ λεχθέντα, reſtitui poſſe, κατὰ inſerto ante Σάγραν,

Σάγραν, ſignificaveram; Vir autem modo memoratus pluribus verbis inſertis ſic locum complet: Ὡς εἶναι ἀληθέϛερα τῶν ἐπὶ Σάγρᾳ τὰ λεχθέντα. Ego, quamvis noverim, ita plenius efferri proverbium apud Suidam, Strabonem Lib. VI. p. 400. & Ciceronem de *Natura Deorum* cap. XV. tamen apud Ælianum tot verbis opus eſſe non exiſtimem: cum non modo brevius idem proverbium efferri queat, εἶναι κατὰ Σάγραν τὰ λεχθέντα, verum etiam certiſſima illa apud Sagram credita fuerint, ut ex Hiſtoricis conſtat, & ex Suida l. c. Κατὰ *ſimilitudinem* notat, ut apud Lucianum *Baccho* p. 364. Συνετὰ μέν τοι πάντα καὶ κόσμια, καὶ ΚΑΤΑ ΤΟΝ Ὁμήρȣ ἐκεῖνον ΡΗΤΟΡΑ. Idem *Lexiphane* p. 835. ΚΑΤΑ ΤΟΝ Μνησάρχȣ ΤΟΝ ΣΑΜΙΟΝ σιωπὴν καὶ γλωτταγίαν ἡμῖν ἐπιβάλλει. & *Pseudologiſta* p. 435. κατὰ τὸν Αἰσώπȣ κολοιόν. Ex puerorum puellarumve fortuitis vocibus etiam Romani omina & oracula captare ſolebant: ut Paulus Æmilius, cum bellum ei cum Rege Perſe obtigiſſet, filiola Tertia dicente, *Perſa periit; tum ille arctius puellam complexus, ACCIPIO OMEN*, inquit. *Cicero* Lib. I. *Divinat. Cap. XLVI. Valer. Maximus Lib. I. Cap. IV.* ubi & alia. De Apidis autem Oraculo Lucianus quoque *Deorum Concilio*, ὁ μεμφίτης ἔτος ταῦρος ὁ ποικίλος, προσκυνεῖται, καὶ ΧΡΑ, ΚΑΙ ΠΡΟΦΗΤΑΣ ΕΧΕΙ. p. 713. vide etiam Ammianum Marcellinum Lib. 22. cap. 14. & Diogenem Laërtium Lib. 8. §. 91.

ARRIANI EPICTETUS Lib. IV. c. 24. p. 255. Homini crines pulcerrimos jactanti, Ἀλλὰ καὶ κόμιον κομψὸν ἔχω, reſpon-

ſpondet: Ὁ δὲ Ἀχιλλεὺς ΟΥ ΚΑΛΛΙΟΝ καὶ ξανθὸν; καὶ οὐκ ἐκτένιζεν αὐτὸ κομψῶς, οὐδὲ ἔπλασσεν. Male poſteriora Interpres: *Eamque & pexuit eleganter & comſit*, cum negativa in Græco ſit, vertendumque: *Nec eam tamen pexuit.* Recte prius monitum a Viro docto *Vol. IX. Obſ. Miscell. Crit.* 380. Hic tamen ſine ratione οὐ κάλλιον mendo laborare putat, & confidenter ſubſtituit χρυσοῦ κάλλιον. Sanus autem re vera eſt & integer locus: *Achilles autem nonne habuit pulcriorem comam & flavam?* Notum enim eſt, *flavam comam* antiquis maxime commendatam & pulcerrimam creditam fuiſſe, vide Viros doctos, qui de *Coma* ſcripſerunt. Heſychius ξανθὴ exponit καλή, quo ſenſu ſæpius apud Homerum occurrit. Fuit quoque, Homero teſte, Achilli *coma flava*, unde ξανθὸς Ἀχιλλεὺς, *Iliade* ψ. v. 141. adde Pindarum *Nemea* 3. v. 75. & Dionem Chryſoſtomum *Orat.* 21. p. 273. *FLAVUS ACHILLES* audit apud Claudianum IV. *Conſul. Honorii* v. 558. Comæ ille autem curam neglexit, vide Philoſtratum *Lib. IV. Vita Apollon.* Cap. XVI. Ξανθὸς denique & χρύσιος *aureus*, idem color erat: unde Achilli ξανθῷ tribuit Philoſtratus *Heroic.* p. 733. κομὴν χρυσοῦ ἡδίω, & Lib. II. *Icon.* p. 817. unum per alterum exponit, ξανθὸν μὲν καὶ χρυσοῦ πέρα τὸ ἀτακτοῦν τῆς κόμης. Broekhuſius *ad Tibullum Lib.* 1. *Eleg.* 6. *v.* 18. *flavos crines* & *aureos* eosdem fuiſſe docet. Οὐδὲ ἔπλασσεν rectius Latine vertitur *finxit.* Sic dixit Phædrus Lib. 2. Fab. 2.

Quum ſe putaret FINGI *cura mulierum,*
Calvus repente factus eſt.

ubi

ubi plura Interpretes. Græcum verbum eadem de re alibi adhibuit idem Arrianus, Lib. 4. cap. 11. p. 422. *Juvenem initio accedere ad me malo πεπλασμένον fictum, quam capillis diſturbatis & ſordidum.* Elegantiorum olim erat *flexus ad pectinem capillus*, quod Adriano tribuit Spartianus cap. 26. hoc eſt ἐκτενισμένος ut recte Salmaſius interpretatur. Euripides *Electra* v. 527 χαίτης — πλόκος, v. 529. Ὁ δὲ κτενισμοῖς θῆλυς, *cirrus comæ crebro pectine femineus.* Achillem olim Thetis mater ſic fingere volebat apud Statium *Achilleidos Lib. 1. v. 328.*

Et implexus CERTO DOMAT ORDINE CRINES.

Idem v. 162. Achilli tribuit flavam & auream comam:

FULVOQUE nitet *COMA GRATIOR AURO.*

Perinde atque Philoſtratus modo citatus Achilli adſcribebat comam ξανθὴν καὶ χρύσȣ ἡδίω.

FESTUS habet vexatiſſimum locum in *TACPOCON*, aut *Tæpocon*, ubi ita: *Tacpocon ſoliti ſunt appellare Græci genus ſcribendi deorſum verſus, ut nunc dextrorſum ſcribimus*, ubi Oedipode opus eſſe pronunciavit Scaliger. Non eſſe Syriacam aut Hebræam vocem, ut nonnulli volunt, inde patet, quod *Græcos* id genus ſcribendi ſic appellare, Feſtus dicit: Græcum itaque ſit neceſſe eſt *Tæpocon.* Petitus mire emendaverat τὰ ὑπ᾽ ὄκον, *quæ ſub oculum*, quod merito repudiat Salvinius, qui forte ſcribendum ſubjicit τὸ ἀροτὸν, unde *exarare* eſſet, a ſulco recta deorſum ducto Vol. IV. *Miſcell. Obſ. Crit.* p. 258. Id vero ſcribendi genus Græci vocabant βȣςροφηδὸν, uti id, quod deorſum *columnæ inſtar* ducebatur,

κιονηδὸν. Ex qua ratione nec Croji expoſitio cap. 9. Obſerv. quamvis ſuo aliorumque præconio commendata, conſiſtere poteſt, legentis τὰ aut τὸ ἐπ' ὄρχον *inſtar arborum in viridario à ſummo ad imum*: quaſi arbores duntaxat à ſummo ad imum diſpoſitæ eſſent, nec ad dextram verſus ſiniſtram, & vice verſa. Alius Vir doctus Vol. IX. *Obſ. cit.* p. 380. ſic emendat, ut Latinas literas majores TAPOCON Græce legat τ' ἄκροσον, idque convertat in τ' ἄκροτον, hoc denique in τ' ἀκρότονον, eo quod tachygraphi ον præcedens ſæpius omittere, & per literam transverſam τῷ ον ſequenti ſuper imponere ſoleant. At, etiamſi ea, quæ hic de ſcripturæ mutatione afferuntur, omnia largirer: inde tamen non ſequeretur, τὸ ἀκρότονον ſignificaſſe, aut ſignificare poſſe genus ſcribendi a Feſto indicatum, ἀκρότονον potius genus ſcribendi *ſurſum verſus*, quam *deorſum* ſignificaret. Nuperrime Cl. Weſſelingus ad Petiti *Leges Atticas* p. 179. ſcriptura vulgata valere juſſa πυργηδὸν aut κιονηδὸν ſubſtituit, merito tamen addidit: *præſtat manum abſtinere*, audaciorem nempe.

Cum in Feſto *Tacpocon* aut *Tæpocon* legatur, majoribus literis ſcriptum & Græce lectum, erit TAIPOKON aut TAIPOCON, ex quo ſatis facili mutatione facerem TAΠPOBAN, aut TAΠPOBON cum B & K ſæpius eodem fere modo ſcribantur: atque explicata tachygraphia ante memorata legerem TAΠPOBANON aut TAΠPOBANIKON, *genus ſcribendi Taprobanis uſitatum*, Taprobanum aut Taprobanicum. Taprobanitæ enim deorſum ſcribebant, Diodoro

Siculo

Siculo auctore luculentiſſimo Lib. II. p. 139. 140. Γράφουσι δὲ τοὺς στίχους οὐκ εἰς τὸ πλάγιον ἐκτείνοντες, ὥσπερ ἡμεῖς, ἀλλ' ἄνωθεν κάτω καταγράφοντες εἰς ὄρθιον, *ſcribunt autem verſus non in transverſum uti nos*, (ut nunc dextrorſum ſcribimus, Feſtus dicit) *ſed deorſum verſus linea recta.* Solent autem librarii, immo & veteres editiones per compendium ſcribendi medias literas & ſyllabas omittere. Sic ἄνοι ſcribunt pro ἄνθρωποι, φιλᾶνος pro φιλάνθρωπος, vide Perizonium *ad Lib. Æliani V. cap. 26. & Lib. II. cap. 33.* qui & *Lib. XII. cap. 16.* Ἀντιπου per compendium ſcriptum affert pro Ἀντιπάτρου. Taprobana autem veteribus omnes fere Indorum regiones complectebatur, qui tali ſcripturæ genere adhuc utuntur. Vir nobiliſſimus Joſeph. de Bimard la Baſtie Baro montis Seleuci *Notis ad marmor* ſcriptura Græca antiquiſſima βουστροφηδὸν dicta inſigne, quibus frontem *Novi Theſauri Inſcriptionum* Muratorii exornavit, triplicem vetuſtiſſimorum Græcorum ſcripturæ modum ſtatuit, antequam præſens, qui lineas à ſiniſtris ad dextram deducit invaleſceret: primum ſcribendi a dextra ad lævam à Phoenicibus acceptum, alterum ſcribendi in orbem, quod ſcripturæ genus Iphiti diſcus exhibuiſſet Pauſania teſte *Eliac. prior.* c. 20. p. 427. tertium βουστροφηδόν. De primo & ultimo ſcribendi genere dubium non eſt: primum illud Etruſcis præſertim erat familiare, uti plurimis monumentis docet Cl. Gori in ſplendido illo *Muſeo Etruſco* idque non à Phoenicibus modo, ſed cumprimis ab Ægyptiis ad Etruſcos dimanaſſe ſcribit p. 405. *Tom. II.* Scriptu-

ram βυστροφηδὸν dictam præter Bochartum & Montfauconium in *Palæographia Græca*, Cel. Edmundus Chishull doctiſſimo commentario illuſtravit in *Antiquitatibus Aſiaticis* ad inſcriptionem Sigæam βυστροφηδὸν exaratam; ſed ſcripturam in orbem peculiare genus conſtituiſſe cum duobus jam memoratis comparandum, pace Viri Magni negaverim. Ex hac ratione, quod diſcus ille rotundus aliud ſcribendi genus vix permitteret, niſi orbiculare, quo commodius totus conſcribi & plura inſcripta complecti poſſet. Hinc non modo apud vetuſtiſſimos, ſed omnium temporum Græcos & Romanos univerſasque gentes in *numis* rotundæ inſcriptiones apparent; in *parmis* ititem *ſcutis* & *clypeis* in *Novo illo* Muratorii *Theſauro*, vide Tom. II. p. 912 - 920. Tom. III. p. 1753. & alibi ſæpius: inde tamen ſingulare quoddam ſcribendi genus nemo jure elicuerit, præſertim cum hic quoque ſcriptura ipſa à ſiniſtra ad dextram pergat. Quin etiam *quadrata Scriptura* apud Muratorium extat in tabula quadrata, quæ omnia ejus latera occupat Tom. II. p. 993. & *triangularis* Tom. 3. p. 1432. Immo & litteræ κιονηδὸν ſcriptæ comparent p. 1015. verba exhibentes *Volaterræ XV. Kalendas Septembris* propterea nemo tamen apud Romanos eundem ſcribendi morem viguiſſe dixerit, atque apud Taprobanos & Indos. ſæpe ob ſpatium ab aliis figuris occupatum conſuetum ſcribendi genus exulat. Sæpe luſus eſt ingenii & ſcriptionis &c.

Doctiſſimus d'Arnaud in *Specimine Animadverſionum Criticarum in Scriptores Græcos* cap. 29. Herodoti locum *Lib. I.*

cap.

cap. 47. obſcurum & corruptum judicat, ubi Croeſum oracula tentantem Lydis ad oracula ablegatis præcepiſſe dicit, ἀπ' ἧς ἂν ἡμέρης ὁρμηθέωσιν ἐκ Σαρδίων, ἀπὸ ταύτης ἡμερολογέοντας τὸν λοιπὸν χρόνον ἕκαστον, ΤΗΙ ΗΜΕΡΗΙ χρῆσθαι τοῖσι χρηστηρίοισι. Vertitur: *ut qua die proficiſcerentur ex Sardibus, ab ea reliquum tempus per quemlibet diem ſupputantes, quique iſta die oraculis uterentur.* In hac τῇ ἡμέρῃ verſione *iſta die* nullum ſenſum videt Vir doctus, quod Herodotus nullum antea diem deſcripſiſſet, quare pro τῇ legit μιῇ, hac ſententia: *ut ab ea die, in qua exiviſſent Sardibus, reliquum tempus per dies ſupputantes, ſinguli una eademque die oracula citarent.* Sed ſic quidem nulla emendatione opus fore exiſtimem, cum τῇ ἡμέρῃ, quod extat, optimo jure verti poſſit *eadem die*, τῇ hic eſſet ταύτῃ, ut toties; aut articulum τῇ hic potius putem poſitum ὁριστικῶς καὶ ἐμφατικῶς *die illa*, quam legatis nempe Croeſus clanculum ſtatuerat, ut eo minus aliquid ad oracula eorumve præſides emanaret. Hinc eam diem Herodotus mox cap. 48. appellat τὴν κυρίην τῶν ἡμερέων, numero iterum ex eadem ratione ſuppreſſo. Articulum autem ὁριστικῶς, δεικτικῶς, ἐμφατικῶς ſumi, vel e rudimentis Græcæ linguæ conſtat; ſic mox, ἐν τῇσι ταφῇσι *ad ſepulcra illa* ante deſcripta, ut ſtatim videbimus.

Facere non poſſum, quin hujus ad oracula ablegationis occaſione, quamvis modeſte, notem inſignem hallucinationem Cl. Muratorii *Tom. II. Inſcript.* p. 587. ubi hanc inſcriptionem

nem affert Delphis extantem in Amphitheatro, e ſchedis ſuis & Cyriaci Anconitani:

ΟΙΔΑ Δ'ΕΓΩ ΨΑΜΟΥ Τ' ΑΡΙΘΜΟΝ ΚΑΙ
ΜΕΤΡΑ ΘΑΛΑCCHC
ΚΑΙ ΚΩΦΟΥ ΣΥΝΙΗΜΙ ΚΑΙ ΟΥ ΦΩΝΕΥΝ-
ΤΟΣ ΑΚΟΥΩ
ΟΔΜΗ Μ'ΕΣ ΦΡΕΝΑC ΗΛΘΕ ΚΡΑΤΕΙΡΗ
ΟΙΑ ΧΕΛΩΝΗΣ
ΕΨΟΜΕΝΗΣ ΕΝ ΧΑΛΚΟΙ ΑΜ' ΑΡΝΕΙΟΣΙ-
ΚΡΕΕΣΙΝ
Η ΧΑΛΚΟΣ ΜΕΝ ΥΠΕΣΤΡΩΤΑΙ ΧΑΛ-
ΚΟΝ Δ' ΕΠΙΕΣΤΑΙ.

Ad hæc Cl. Muratorius ſubjicit: *Quid ſibi velint ARCANA HÆC MYSTERIA, & ſintne luſus, an aliquid ſerii, illis qui talibus delectantur perpendendum relinquo.* Mirum vero eſt, memoriam doctiſſimo Viro non ſuppeditaſſe Reſponſum illud Oraculi Delphici ad percontatorem a Croeſo ſubmiſſum, quod integrum extat apud Herodotum l. c. unde Muratoriana inſcriptio corrupta & verſio emendari facili negotio queat.

Idem doct. D'Arnaud *cap. 30. p. 164.* lacunam in Herodoto *Lib. IV. cap. 71.* offendit, ubi Scythas Regis defuncti cadaver in plauſtro ad omnes ordine ſubjectas gentes circumferre docet, *ἐνθεῦτεν δὲ κομίζουσι ἐν ἁμάξῃ τὸν νέκυν τοῦ βασιλέος ἐς ἄλλο ἔθνος τῶν ἄρχουσι· οἱ δὲ σφὶ ἕπονται*, ΕΣ ΤΟΥΣ ΠΡΟΤΕΡΟΝ ΗΛΘΟΝ, poſtrema vertuntur: *quæ ipſos comitatur ad eos, unde primum venerant.* Hæc ſenſu carere, nihil-

que

que abſurdius eſſe Vir doctus ait, quam Scythas ſic dici continuo ad priorem gentem reverſos, ubi regium cadaver ad unam alteramve gentem portaſſent. Ei excidiſſe quædam ex Herodoti verbis videntur, ita forſan reſarcienda, οἱ δὲ σφὶ ἕπονται, ΩΣ ΟΙ ἐς τοὺς πρότερον ἦλθον, *hi vero iſtos ſequuntur, ut illi, ad quos antea venerant.* At vero nulla hic ſartura opus, dummodo vertas, ut clariſſime patet: *Hi vero iſtos ſequuntur ad* (eos ad) *quos primos*, ad quoscunque primo, *pervenerint*, ſic, ut cadaver illi comitati fuerint usque ad eos, quos digreſſi priores & primos invenirent.

Sequentia apud Herodotum *l. c.* Ἐπεὰν τε πάντας περιέλθωσι τὸν νέκυν κομίζοντες, ἐν Γέῤῥοισι ἔσχατα κατοικημένοισι εἰσὶ τῶν ἐθνέων τῶν ἄρχουσι, καὶ ἐν τῇσι ταφῇσι, Vir doctus mirum in modum turbata eſſe, neque ullum ex iis ſenſum extundi poſſe exiſtimat, adeo, ut ea emaculare ſibi nimis arduum & felicioribus ingeniis relinquendum videatur, intra veniæ ſpem tamen legendum conjicit pro καὶ ἐν τῇσι ταφῇσι, καὶ ἐν τοῖσι ταφαὶ εἰσὶ, hac loci ſententia: *Poſtquam vero omnes adierunt cadaver geſtantes, ad Gerrhos deveniunt, ultimos gentium, quibus imperant, & apud illos ſunt ſepulcra.* Mihi non adeo locus turbatus videtur, dummodo comma poſt κομίζοντες tollas, & εἰσὶ, mente ſaltem, cum κομίζοντες conjungas, vertasque: *Poſtquam vero omnes circumiverint, cadaver Regis geſtant ad Gerrhos gentium ſubjectarum extremos, atque ad illa ſepulcra*, Regum puta, quæ apud Gerrhos eſſe Herodotus diſerte

ſerte docuerat cap. 71. Ταφαὶ δὲ τῶν βασιλήων ἐν Γέῤῥοισί εἰσί. Poni autem ἐν pro ἐς, notiſſimum eſt.

Idem vir doctus cap. 31. male XENOPHONTEM interpretatur *de Expedit. Cyri Lib. I. cap. 2. ſ. 11.* p. 246. *Militibus ſtipendium trimeſtre & majus debebatur, qui ſæpius illud poſtulatum ad portas aderant,* ὁ δὲ ΕΛΠΙΔΑΣ ΛΕΓΩΝ ΔΙΗΓΕ, καὶ δῆλος ἦν ἀνιώμενος. Vertit Leunclavius: *Cyrus autem adeuntes nonniſi ſpe propoſita conſolabatur, neque ſollicitudinem animi diſſimulare poterat.* Lapſum hic haud dubie magnum alioquin Interpretem vir doctus putat, cum διάγειν hic eſſet *ducere, fallere;* quem ego vero potius lapſum eſſe video. Ratio eſt evidens. Non conjungitur hoc loco διῆγε cum ἐλπίδα, quod conjunctum apparet cum λέγων, ſed ſeorſim ponitur ad Cyrum relatum, ὁ δὲ — διῆγε, ſic autem ſignificat, *ille perrexit ſpem oſtentans*, aut, ut Latine dicitur, *ille vero ſpem dictitare* & oſtentare, atque ſic ſpe propoſita continuo conſolari. Ita Xenophon *Hierone* ſeu *de Regno* p. 908. dixit *tyrannus nemini* πιςεύων διάγει *fidere.* Dio Caſſius *Lib. LVII. p. 603. Tiberius,* ὅτι τὰς ἀνθρώπους ὁρῶν ἀλλοτρίως ἑαυτῷ ἔχοντας, διέμελλεν καὶ διῆγεν *cunctari.* Subauditur autem χρόνον poſt διῆγεν, ut poſt Budæum Salmaſius docet *ad Spartianum* p. 149. quem immerito hic Vir doctus pro ſua verſione in auxilium vocavit; aut βίον, ut alibi Xenophon dixit τὸν βίον διαγόντα, & νύκτα καὶ ἡμέραν διάγει, *de Regno* p. 914. & ſimpliciter διάγει *Memorab. Lib. I.* p. 723.

Significatio autem *fallere* plane hic exulat, cum Cyrus milites ſpe propoſita minime fefellerit nec fallere voluerit, ſed propterea vehementer fuerit ſollicitus, utpote qui minime iis moribus eſſet, ut ſtipendia quoties haberet, negaret, ut Xenophon addit l. c. Leunclavius igitur ſatis recte & eleganter vertit, quamvis verbum verbo non reddiderit.

CAPUT VII.

Pauſanias reſtitutus. Θεάινετος vates. Ariſtænetus emendatus. ἄκουσα pro οὐκ οὖσα. Diogenes Laërtius explicatus. Theſpis Tragoediarum inventor. Τραγωδίας ἄγειν & διδάσκειν. Latine *agere* & *docere*. Ælianus defenſus, αὐτὸ eleganter παρέλκει, ἀποκείρεσθαι. item Diogenes Laërtius vindicatus. Ἑλισσὼν fluvius in in vicinia Corinthi. Canes maritimi & fluviatiles. Ælianus emendatus. πλείστους pro ἐκείνους. Περιφρονεῖν aſſertum. Diogenes Laërtius vindicatus aut emendatus. item Ælianus.

PAUSANIAS *Atticis* cap. 27. p. 65. corruptus & mutilus eſt in his verbis: Καὶ ἀνδριάντες εἰσὶν ἐντὸς, οἷς ἐμαντεύετο Τολμίδῃ, καὶ αὐτὸς Τολμίδης. Hic ἐντὸς nihil ſignificare, atque adeo corruptum videtur, inprimis ob ſequens οἷς ἐμαντεύετο, quod ante ſe requirit nomen vatis, cujus illa ſtatua, quique Tolmidæ vaticinatus eſſet. Kuhnius, Vir Græce doctiſſimus, recte quidem in ἐντὸς nomen vatis latere ſuſpicatus eſt, ſed inveniſſe non videtur, cum legendum cenſet Ἔνδοῖος, ὃς ἐμαντεύετο. Quod &

merito improbat Cl. Trillerus, qui nuperrime *Obſervationes Criticas* ingenioſiſſimas & varia eruditione locupletatas edidit, *Lib.* 1. *cap.* 7. eo quod veterum nemo vatem illum Endoeum memorat; ſtatuarium autem quendam, nihil huc pertinentem, Endoeum a Reineſio productum, notat in *Addendis* p. 511. Ipſe potius legit ἔνθεος *vates*, ingenioſe quidem, ſed nimis vage, ſine proprio vatis nomine, quod hic vero requiritur, cum ejus nulla adhuc in præcedentibus facta fuerat mentio; nec exempla producta docent, ἔνθεον ſic abſolute poſitum *vatem* deſignare. Certius ego in εντος nomen vatis capite truncatum videre videor, atque reſtituendum Θεαίνετος. Is vates revera erat ἀνὴρ μάντις illorum temporum & locorum, & Τιμίδȣ *filius*, aut Τολμίδȣ, uti multi & præſtantiſſimi Codices legunt apud Thucydidem Lib. III. c. 20. p. 178. *edit. Dukeri.* Perinde nunc autem fuerit, utrum apud Pauſaniam legere malis, ὃς (ſic enim recte Kuhnius) ἐμαντεύετο Τολμίδῃ, *qui Tolmidæ vaticinatus eſt*, an Τολμίδȣ, ſcil. υἱός. Cum enim Θεαίνετος vates eſſet & Tolmidæ filius, patri quoque Athenienſium duci vaticinatum fuiſſe quis neget? De duce Tolmida, qui apud Pauſaniam eſt αὐτὸς Τολμίδης, ὃς Ἀθηναίων ναυσὶν ἡγȣ́μενος, κ. λ. & rebus ab eo geſtis adeundus quoque eſt Thucydides *Lib. I. Cap. 108.* p. 70.

ARISTÆNETUS, Lib. II. Epiſt. I. p. 133. Σὺ δὲ ὀφθεῖσα φλέγεις, καὶ ȣ̓κ ȣ̓͂σα τιτρώσκεις. Mercerus ȣ̓κ ȣ̓͂σα corruptum merito putat, atque emendat καὶ ὁρῶσα, *videns ſaucias.* At tautologia quadam laborare illa emendatio videtur, ὀφθεῖσα

&

& ὁρῶσα: quare Cl. Trillerus *Obſ. Crit.* Cap. IX. p. 19. legendum cenſet, καὶ ἀκτῖσι τιτρώσκεις, *radiis* oculorum ceu fulminibus *vulneras.* Attamen & hæc emendatio id incommodi habet, quod longius a ſcriptura diſcedit, & ἀκτῖσι de radiis & fulminibus oculorum interpretatur, quorum nulla adhuc expreſſa mentio exſtiterat. Hinc ipſe V. C. huic emendationi diffiſus, legi jubet ἠχοῦσα, *loquens*, aut *cantans in Addendis* p. 511. pejus omnino! Commodius & elegantius, ut puto, emendaverim, καὶ ἄκουσα τιτρώσκεις, *etiam invita vulnera facis*, ſine voluntate & propoſito nocendi, uti Pythiade conſpecta miſerrimus Euxitheus grave vulnus accepit, ab invita & ne cogitante quidem *transfixus* τετοξευμένος, *epiſtola ſequente.*

DIOGENES LAERTIUS Lib. I. ſegm. 59. de Solone tragoedias vetante: Θέσπιν ἐκώλυσε τραγῳδίας ἄγειν τε καὶ διδάσκειν. Suſpectum τὸ ἄγειν viſum eſt Caſaubono *in Notis*, in ᾄδειν aut εἰσάγειν mutandum, probante Menagio; ſed Trillero intercedente *Lib. I.* Cap. XI. *Obſ. Crit.* qui ἄγειν hic potius ſignificare putat *vehere*, eo quod Theſpis ille *Tragoedias plauſtris vexiſſe* Horatio dicatur, *pro rudi tum more*, & διδάσκειν exponit, *privatim & remotis perſonis tragicis docere.* Hæc minime ſtabili fundamento nituntur. Oſtendit, & acute, ut ſolet, Criticorum ſummus Bentlejus, *vexiſſe* apud Horatium non pertinere ad poëmata, & tragoedias, ſed ad perſonas tragicas, hiſtriones puta, *QUI* poemata & tragoedias *AGERENT ET CANERENT*, cum vulgo legatur, *QUAE*

CANERENT, vide eum ad Horatium de *Arte poëtica* v. 275. Quamvis autem Theſpis perſonas & reliquum apparatum adveheret, propterea tamen τραγωδιάς ἄγειν nondum ſignificaret, *vehere tragoedias plauſtris*. Theſpis certe, id ſi Solon voluiſſet, relictis plauſtris tragoedias exhibere potuiſſet, ut poſterioribus temporibus factum, atque ſic Solonem egregie luſiſſet.

Quid, quæſo, evidentius, quam τραγωδίας ἄγειν idem eſſe, quod Latine *tragoedias agere*, i. e. exhibere, quemadmodum etiam *comoedias agere* dicunt, quæ nunquam ſane plauſtris vectæ fuere. Quintilianus Lib. XI. cap. 3. *Inſtit. Orat. Roſcius citatior, Æſopus gravior fuit, quod ille COMOEDIAS, hic TRAGOEDIAS EGIT.* Ita Horatius cum Theſpin *plauſtris vexiſſe tragoedias* dixiſſet, addit, qui *CANERENT AGERENTQUE*, ſcil. tragoedias: qua etiam ratione τὸ *agere* ſatis diſtinguit à *vexiſſe*. Plato *de Legibus Lib.* 7. p. 639. Tragoedos ſic loquentes inducit: *Licetne in regionem civitatemque veſtram venire*, καὶ τὴν ποίησιν φέρωμέν τε καὶ ἄγωμεν, *& poëmata ad vos ferre & agere?* qui locus emendationem Bentlejanam Horatii vehementer confirmat. Plutarchus *Solone* p. 95. Theſpi tribuit τραγωδίας κινεῖν. Ἀρχομένων τῶν περὶ Θέσπιν ἤδη τὴν τραγωδίαν κινεῖν, *cum jam movere Thespis tragoediam cepiſſet*, quo ſenſu & Quintilianus Lib. VI. Cap. 1. *Tragoedias movere* dixit. Ex qua etiam ratione vanitas emendationis Caſaubonianæ patet, qui ἄγειν in ᾄδειν converſum volebat, quomodo etiam Trillerus ἄγειν *canere* exponit l. c.

Idem

Idem V. C. *διδάσκειν* exponit, *privatim & remotis perſonis tragicis docere*, quod ego quidem ſatis admirari non posſum. Fierine potuit, ut menti doctiſſimi Viri non obverſaretur notiſſima τῦ διδάσκειν τραγῳδίαν ſignificatio, quæ publicam repræſentationem infert, nunquam ſine perſonis & hiſtrionibus factam? Polyænus *Stratag. præf.* p. 9. ἀλλὰ τὰ μὲν τῶν τραγῳδῶν ἱκανὴ διδάσκει ἡ σκηνή. Ariſtophanes de Æſchylo *Ranis* v. 1058. Εἶτα διδάξας τῦς Πέρσας. Dio Chryſoſtomus *Orat.* 13. p. 224. Οὐδεὶς ἕνεκα τύτυ τραγῳδίαν ἐδίδαξε. Idem *Orat.* 57. p. 572. Διδάσκυσι τραγῳδίας καὶ κωμῳδίας. In Inſcriptionibus ſæpisſime occurrit, qualis etiam extat apud Plutarchum, tabula a Themiſtocle dedicata, cum victor choragus fuiſſet certantibus tragoedis, cum hac inſcriptione: ΘΕΜΙΣΤΟΚΛΗΣ ΦΡΙΑΡΙΟΣ ΕΧΟΡΗΓΕΙ· ΦΡΥΝΙΧΟΣ ΕΔΙΔΑΣΚΕΝ· ΑΔΕΙΜΑΝΤΟΣ ΗΡΧΕΝ, in Themiſtocle p. 114. Ejusdem generis exhibet Sponius *Voyage* Tom. 2. p. 395. ΧΑΡΙΛΑΟΣ ΛΟΚΡΟΣ ΕΔΙΔΑΣΚΕ Frequentiſſimæ quoque extant in Theſauro Muratoriano Tom. 2. p. 644.

ΑΡΙΣΤΕΙΔΗΣ ΕΧΟΡΗΓΕ.
ΑΡΧΕCΤΡΑΤΟΣ ΕΔΙΔΑΣΚΕ.

vide ibidem, ut & p. 641. alia. De Theſpi Marmor Arundelianum, ΟΣ ΕΔΙΔΑΣΚΕ ΠΡΩΤΟΣ p. 210. Ita Latini *docere fabulam*. Cicero Lib. IV. *Tuſc.* cap. 29. *Cum Oreſten FABULAM DOCERET Euripides, primos tres verſus revo-*

caſſe dicitur Socrates. De Theſpi autem Tragoediæ auctore præter Interpretes ad Marmora Oxonienſia in primis videndus eſt Bentlejus in raræ admodum eruditionis *Diſſertationibus adverſus Phalaridis Epiſtolas*, Anglice conſcriptas, Diſſert. XI. p. 225. ſeqq.

AELIANUS Lib. I. *Var. Hiſt.* Cap. XX. Καὶ τὸ ἄγαλμα δὲ τȣ̃ Ἀπόλλωνος περιεσύλησεν, ἔχον καὶ αὐτὸ χρυσȣ̃ς βοςρύχȣς, κελεύσας ἀποκεῖραί τινα αὐτό. Hoc αὐτὸ redundare, & vel ex gloſſa ortum, vel per ſocordiam ex repetitione ſuperioris αὐτὸ irrepſiſſe, cenſet Perizonius. Cl. Trillerus *l. c. Cap. 15.* convertit in αὐτȣ̀ς, ſcil. βοςρύχȣς. Sed minime locus eſt ſollicitandus. Repetitum illud αὐτὸ ad ſtylum & venuſtatem Æliani pertinet, ejusmodi repetitionibus gaudentis. Ita παρέλκει αὐτὰς Lib. V. Cap. 3. τὰς νῦν Ἡρακλείȣς ςήλας καλȣμένας — Φησὶ Βριάρέω καλεῖσθαι αὐτάς. & αὐταῖς Lib. XII. c. 52. ubi plura habet Perizonius. Ita Κροῖσος continuo repetitur Lib. III. c. 26. p. 275. Θησεὺς Lib. IV. Cap. 5. Πολυκράτης Lib. IX. Cap. 4. Pertinet autem αὐτὸ ad ἄγαλμα, *quod* (*ſimulacrum* cincinnos habens) *tondere aliquem juſſit.* Ælianus *Lib. IX. Cap. 4.* ἀπέκειρε τὸν παῖδα. Lucianus de tali Jovis ſimulacro circumtonſo, τȣ̀ς πλοκάμȣς περικειρόμενος ὑπ᾽ αὐτῶν, *Timone* p. 64. Ariſtides *Monodia in Smyrnam* p. 262. Tom. I. πᾶσαν δὲ τὸν ἤπειρον ἀποκείρασθαι, πάντως αὐτῆς ὁ βόςρυχος οἴχεται. Lucianus quoque dixit, ἀποκείρειν τὰ πρόβατα *Fugit.* p. 598.

DIOGE-

DIOGENES LAERTIUS Lib. VI. Segm. 79. ubi de morte Diogenis Cynici agit, inexplicabilis nonnullis videtur: nempe Diogenem Cynicum *in Eliſſum fluvium ſe præcipitaſſe* memorat, *ut fratribus utilis eſſet*; Οἱ δὲ εἰς τὸν Ελισσὸν ἐμβάλλειν, ἵνα τοῖς ἀδελφοῖς χρήσιμος γένηται. Non conveniunt Interpretes in Eliſſo fluvio, hinc pro Ελισσὸν ſubſtituunt, εἰς τὸν ἕλειον, *in locum paludoſum*, vide præſertim Menagium, huic emendationi faventem. Cl. autem Trillerus Lib. II. Cap. I. legendum ſuſpicatur, εἰς τὸν ἁλισμὸν, *in ſalituram conjicere*, ſive *corpus ſale condire*, ut a foetore liberum durare poſſit; aut εἰς τὴν ἤλυσίην, *in viam publicam*, quæ emendationes ſunt duræ, difficiles & longius petitæ, ut ſagaciſſimo illi viro ſuboluit p. 74.

Mihi dubium non eſt, quin Ελισσὸν, aut ſi mavis Ιλισσὸν, apud Laërtium genuina ſit lectio, præſertim cum idem fluvius in eadem Hiſtoria occurrat apud Ælianum *V. H. Lib. VIII.* c. 14. ubi etiam γεφυρίε, *ponticuli* meminit, fluvio ſcilicet incumbentis, de quo Diogenes mortuus præcipitari volebat. Ejus nominis fluvium apud Corinthum fuiſſe, jam oſtendit Menagius *ad Laërtium*, & Perizonius ad *Ælianum*, cujus quoque in Corinthi vicinia mentionem facit Pauſanias *Corinth.* cap. XII. p. 139. Ελισσῶν τε καλέμενος ποταμός, eumque in mare decurrere, *ibidem* dicit. Corinthus autem mari vicina, fontibus præterea & rivis *irrigua* erat, qualis ille erat, qui ad radicem montis in urbem effluebat, unde Corinthus περίκλυστος dicta Straboni Lib. 8. p. 582. & εὔυδρος

Plu-

Plutarcho : γεφύριον igitur locum habuit. Præterea fluviolus in tabulis geographicis pingitur ex urbe in mare effluens, quis ei nomen Ελισσος aut Ιλισσος fuiſſe, præfracte negaverit? Difficultas, quæ in verbis, ἵνα τοῖς ἀδελφοῖς χρήσιμος γένηται, *inextricabilis* Viro Cl. videbatur: *Quomodo enim* (interrogat pag. 72.) *ſic prodeſſe poſt obitum fratribus ſuis poterat Diogenes, ſi ipſius cadaver in fluvium Eliſſum fuiſſet abjectum?* facile explicatur & ſolvitur, ſi *de canibus* fluviatilibus aut marinis intelligas, Diogeni *Cynico* ὁμωνύμοις καὶ ὁμοδιαίταις, quibus cadaver ejus cederet in fluvium præcipitatum, qui in mare decurreret. Ita Seneca *Epiſt. 92.* verſus finem, de animo divino hominem egreſſuro, & quid corpori fiat, nihil curante: *Utrum projectum aves differant, an conſumatur, CANIBUS DATA PRÆDA MARINIS, quid ad illum?* ita & Demonax Philoſophus nihil ſe curare dixit, etiamſi in morte animalibus utilis eſſet, Εἰ μέλλω καὶ ἀποθανὼν ζώοις τισὶ χρήσιμος ἔσεσθαι, apud Lucianum p. 872. vidi poſtea hunc etiam locum a Menagio ad Laërtium adductum. Sunt autem non modo κύνες θαλάττιοι ſed etiam ποτάμιοι, docente Æliano in *Hiſt. Animal.* Lib. XIV. cap. 21. quales canes in primis in oſtiis fluminum in mare ſe exonerantium ſtabulari ſolent.

Apud *ÆLIANUM Var. Hiſt.* Lib. XII. c. 52. Iſocratis judicium de moribus Athenarum civitatis tale erat : Ομοιαν εἶναι ταῖς ἑταίραις· καὶ γὰρ ἐκείνους τοὺς ἁλισκομένους ὑπὸ τῆς ὥρας αὐτῶν βούλεσθαι συνεῖναι αὐταῖς, ὅμως δὲ μηδένα εὐτελῶς οὕτω περιφρονεῖν, ὡς ὑπομεῖναι ἂν συνοικῆσαι τινὶ αὐτῶν. Offendit τὸ

ἐκεί-

ἐκείνους, Viros doctos; hinc Schefferus legit ἐκείναις, audacius Faber ἐκείνων ἐραστὰς, Scheffero fere accedit Perizonius, Gronovius pater νεανίσκους, Trillerus Lib. II. cap. 18. ἀγύνους, admodum infeliciter. Legerim ego facillima mutatione πλείστους, *plures*, quibus egregie opponitur μηδεὶς in altero membro. Τοὺς ſequens autem ante ἁλισκομένους aut expungi poteſt, ex antecedente στοὺς in πλειστοὺς natum, aut retineri, ſalva Græcæ linguæ elegantia & venuſtate.

Cl. Trillerus περιφρονεῖν hic mutatum vult in παραφρονεῖν, uti jam Kuhnius conjecerat, at malè: nam præcedens εὐτελῶς omnino τὸ περιφρονεῖν poſtulare videtur, ut ſit: *Nemo tam exiguo eſt iudicio*, aut exigua prudentia, *ut matrimonium cum meretrice inire velit*: εὐτελῶς enim detrahit ſignificationi verbi, quocum jungitur, ut Lib. V. 1. εὐτελῶς διαβιῶναι, *parce vivere*, uti Herodianus *Lib. 4. cap.* 7. εὐτελῆ τράπεζαν *tenuem menſam dixit*. Gloſſarium exponit *vilis*, ut & Heſychius, Εὐτελὲς, ὀλίγης δαπάνης. Εὐτέλεια, ταπείνωσις, πενιχρότης. Igitur ſi παραφρονεῖν hic ſubſtituas, εὐτελῶς παραφρονεῖν erit *parum deſipere*, contraria Iſocrati ſententia. Περιφρονεῖν habet Ariſtophanes *Nubibus* v. 739. Confer Thucydidem *Lib. I. Hiſt.* c. 15. p. 21. & Perizonium *ad h. l.*

Idem Vir Clar. *DIOGENEM LAERTIUM* emendare conatur *cap. 26. p. 147.* qui de Heracliti faſtu ceteros omnes alto ſupercilio ſpernente dicit *Lib. 9. ſegm. 1.* Ἡσίοδον γὰρ ἂν ΕΔΙΔΑΞΕ καὶ Πυθαγόραν, *Heſiodum etiam docuiſſet & Pythagoram*, quæ frigida illi ſententia & *omnino* legendum videtur

ἐτώθαξε, vel potius ἐτώθασε, *ſalſe deridebat*, niſi forte legendum ſit ἐκύδασε vel ἐκύδαξε *ſubſannabat.* Perperam omnino. verbo enim ſatis commodo inſolens admodum & durum ſubſtituit, & graviſſimam ſententiam pervertit, eo ſcilicet Heraclitum arrogantiæ proceſſiſſe, ut vel Heſiodum & Pythagoram docere poſſe putaret: at quantos viros! Heſiodum ipſæ Muſæ docuerant, earumque inſtinctu & afflatu fuerat vaticinatus, ut pote qui futura æque ſciret atque præterita

Ενέπνευσαν δέ μοι ’αυδὴν

Θείην, ὥςε κλύοιμι τά τ’ ἐσσόμενα, πρό τ’ ’εόντα

ipſo teſtante *Theogonia* v. 31. 32. unde κατόχος ’εκ Μȣσῶν dicitur Luciano *Rhet. præcept. circa initium*, vide & Luciani *diſſertationem cum Heſiodo.* Pythagoras autem ſapientia humana majore præditus ferebatur, Apollo Hyperboreus, aut Deus aliquis de coelo delapſus, vide Diogenem Laërtium *Lib. 8. ſegm. 11.* & Interpretes ad illum locum, & ad Ælinium *Var. Hiſt. Lib. 2. cap. 26.* hos divinos viros meliora docere velle, faſtus erat indigniſſimi. Nec Cl. Viro in mentem veniſſe miror, Heraclito riſus jocosque haud feliciter tribui, quem inter lacrymas & fletus vitam transegiſſe Lucianus, Ælianus & Seneca narrant.

Quoniam autem Laërtius Heſiodo & Pythagoræ continuo *Xenophanem* jungit & *Hecatæum*, ſuſpectum τὸ ἐδίδαξε atque è proxime præcedenti διδάσκει natum videri poſſet: hinc

hinc congruentiori omnino mutatione ſurrogatum vellem ἔδηξε aut ἀνέδηξε, *momordit*, *conviciis proſcidit*. Quomodo Laërtius Pythagoram à Timone exagitatum dicit, Τίμων ἐν τοῖς Σίλλοις δάκνων αὐτόν. Frequentiſſimum autem ea ſignificatione δάκνειν eſt apud Græcos, *mordere* apud Latinos, vide *Obſervat. meas* ad Gal. 5, 15.

ÆLIANUS Var. Hiſt. cap. 1. p. 848. mendo laborat in voce inepta καὶ ἄντρῳ, verba ſunt, κακοὶ μνηστῆρες σὺν ὕβρει ΚΑΙ ΑΝΤΡΩΙ τὰ ἕδνα τῶν γάμων προεκτελοῦντες. Hinc doctiſſimi Interpretes varia ſubſtituunt, quibus repudiatis Cl. Trillerus ſubſtituit καὶ ἀράδῳ *cum ſtrepitu & tumultu*, aut ἐν θρῷ à θροῦς. Prius eſt inſolentius vocabulum, poſterius incommodum ob præmiſſum ἐν. Ego expunxerim inſulſum illud καὶ ἄντρῳ, librarii oſcitantia e ſequenti ἐκ τοῦ ἄντρου huc advectum, quo merito caremus, quod σὺν ὕβρει omne id ſignificat, quod ferocibus illis Centauris tribui poſſit. Si aliquis tamen deſiderio vocis alicujus tenatur, legat ΚΑΙ ΑΝΟΙΑΙ.

 CAPUT VIII.

CAPUT VIII.

Ælianus vindicatus. Περιττὰ *divitiæ.* Ælianus iterum vindicatus. Ælianus expoſitus. Tyrannus φιλόπαις & φιλόπολις. Ælianus emendatus. Athenæus reſtitutus. Ὑπογραφεῖν ὀφρῦς καὶ ὀφθαλμὲς Orientalium conſuetudo, ut & Græcorum & Latinorum. Loca 2 Reg. IX. 30. Jerem. IV, 30. Ezech. XXIII, 40. illuſtrata. Arrianus emendatus, pro ἄλλης, ἀλκῆς, ἡττᾶσθαι & ἐξηττᾶσθαι inferiorem eſſe hoſtium violentiæ. Alciphron vindicatus. Acarnanes magi. Tacitus defenſus ſæpius.

ÆLIANVS Lib. XIV. *Var. Hiſt.* c. 32. Improbaverat Timandridas Lacedæmonius filii nimium opum amplificandarum ſtudium, quod in Deos potius & homines convertere debuiſſet: Τὰ γὰρ ΠΕΡΙΤΤΑ ΤΟΥΤΩΝ εἰς ἐκείνες ἀναλίσκεσθαι. Quoniam hic τέτων nullum in antecedentibus pluralem habet, quo referatur: præceſſerat enim tantum ἐσία in ſingulari: vitium ſubeſſe ſuſpicantur Viri docti, atque de loco emendando ſolliciti ſunt. Perizonius pro τέτων legit τε̃ βίε, Jacobus autem Gronovius accommodatius τῶν ὄντων, Trillerus Lib. III. *Obſ. Crit.* cap. XI. pro ingenii fœcunditate τε̃ πλέτε, aut δεόντων, τόκων, ὑπαρχόντων. Ego nihil quidem emendandum exiſtimem. Conſtat enim inter Doctos, haud raro pronomina & adjectiva in plurali ſequi, quamvis ſingularis anteceſſerit; præſertim cum collectivum præceſſerit, adjectiva ſequi genere & numero diſcrepantia, vide Burmannum ad *Quintiliani Inſtit.* p. 790. & Interpretes Thucydidis.

Colle-

Collectivum autem hic eſt ἐσία, argentum, aurum, ſupellectilem omnem, agros, domos complexa, quare pluralis merito ſequitur. Tali fere modo in Evangelio Matthæi VI. 32. 33. Πάντα ταῦτα, *omnia quæ ad victum & amictum pertinent*, ſignificant, licet pluralis non præceſſerit; quomodo apud Ariſtophanem *Pluto* v. 980. Ἐγὼ δ' ἐκείνῳ πάντα ταῦτα ὑπηρέτεν. M. Antoninus de *Rebus ſuis* Lib. III. §. 6. p. 78. Πάντα ταῦτα, præceſſit πλῦτος &c. Significant autem περιττὰ *divitias*, quas ſupervacuas judicat vir ſapiens, iisque facile caret. vide Plutarchum *de amore divit.* p. 527. Idem *Catone Majore* p. 346. *Ariſton philoſophus mirabatur*, ὅτι τὲς τὰ περιτ]ὰ κεκτημένες μᾶλλον ἡγῦντας μακαρίες, ἢ τὲς τῶν ἀναγκαίων καὶ χρησίμων εὐπορῦν]ας, vide & p. 347. Xenophon plenius dixit, τὰ περιτ]ὰ χρήματα, & τῶν ἀρκέντων περιτ]ὰ, Lib. VIII. *Inſtit. Cyri* p. 211. quas in amicos pauperes aliosque homines ſe effundere, ibidem Cyrus dicit. Atque tale erat Timandridæ conſilium apud Ælianum. Lucianus *Timone* p. 119. propius ad phraſin Æliani accedit, τὰ δὲ περιτ]ὰ καὶ πολλὰ ταῦτα, ὥσπερ ἐςὶν, ἀλλότρια ὑπολαμβάνων, nec hic præceſſerat pluralis. Sic Latini *ſupervacua* dicunt Juvenalis *Satyra* X. v. 54.

Ergo SUPERVACUA, aut pernicioſa petuntur,
Propter quæ fas eſt genua incerare Deorum.

Sanus itidem locus eſt *ÆLIANI Lib.* XIV. c. 34. quem Cl. Trillerus l. c. p. 200. ſollicitat, & Ælianum ſcripſiſſe contendit ἔτω δὲ καὶ οἱ κτίςαι vel οἰκίςαι. Schefferus ἕκαςοι converterat in ἕκαςα, improbante Kuhnio. Verba enim ἔτω δὲ καὶ

ΕΚΑΣΤΟΙ τὰ παρ' ἑαυτοῖς σεμνύνειν προῄρηνται, recte vertuntur: *Ita & alii*, aut *ceteri quoque, res ſuas auguſtiores reddere ſtudent*. Οἱ κτισταὶ, quod V. C. ſubſtituit, caret ratione & fundamento, & mentem Æliani ad *conditores urbium* convertit, quorum tamen nullo adhuc indicio facta mentio fuerat.

ÆLIANUS Lib. III. cap. 26. de Pindaro tyranno, duro quidem & in ſumendis ſuppliciis inexorabili, tamen in nonnullis laudando: ſcilicet ἐδόκει ΦΙΛΟΠΑΙΣ εἶναι καὶ σώφρων. Offendit τὸ φιλόπαις Interpretes; quamvis MSS. nihil varient. Perizonius ſubſtituit φιλόκαλος aut φιλόπατρις quod & Jo. Frid. Gronovius malebat; Nepos ejus tamen in nuperrima editione conjecturam præfert J. Corn. de Pauw, πᾶσι φίλος intrudentis; quod vero in neminem minus convenit quam in tyrannum, cunctis merito ſuo inviſum, præſertim Pindaricis moribus, ab Æliano memoratis, præditum. Ex eadem ratione Cl. Trilleri emendationem, φίλος πραΰς, admittere non poſſum. Vulgaris lectio φιλόπαις ſatis bona eſt, atque ex iis, quæ Ælianus l. c. memorat, comprobari videtur. Pindarus nempe, amore filii ductus Epheſum illi conſervatam cupiebat, expulſus etiam urbe ſingularem ejus curam gerebat. Eſt autem liberorum amor virtus etiam in tyranno laudanda, cum eorum multi & liberorum amorem exuant, ob vaniſſimas ſæpe ſuſpiciones & diram regnandi cupiditatem, atque in ſua viſcera ſæviant: ut ex hiſtoria Herodis apparet, cujus *porcus*, quam *filius*, Auguſtus eſſe malebat apud Macrobium. Quod ſi vero a vulgata

gata ſcriptura diſcedendum ſit, ceteris præferrem lectionem Φιλόπατρις, cujus in patriam amoris inſigne ibidem documentum dederat; aut Φιλόπολις, ob inſignem illum Epheſi urbis amorem in ſequentibus memoratum. Xenophon in genere tyrannum Φιλόπολιν eſſe debere docet de *Regno* p. 910. Φιλόπολιν μὲν ᾽ανάγκη καὶ τὸν τύραννον ἐῖναι· ἄνευ γὰρ τῆς πόλεως ἔτ᾽ ἂν σώζεσθαι δύναιτο, ἔτ᾽ εὐδαιμονεῖν.

Apud *ÆLIANUM eodem Capite* Croeſus Epheſiis conceſſiſſe dicitur τὴν μετ᾽ ἐλευθερίας ΦΥΓΗΝ, Pindarum autem juſſiſſe τῆς πόλεως ἀπαλλάττεσθαι. Hinc facile apparet, vitium inſidere in Φυγὴν. eodem enim cum Pindaro poenæ genere, i. e. exilio, Epheſii mulctati fuiſſent, a quo eos tamen diſtinctos Croeſus voluit. Quam ob rem Gesnerus legebat ζωὴν aut σωτηρίαν; Schefferus Φιλίαν, Perizonius μονὴν, Jac. Gronovius εὐχὴν aut Φειδὼ, Trillerus denique p. 351. ψυχὴν aut τύχην; omnes difficulter & incommode, ut accurate conſiderantibus apparebit. Ego Φυγὴν ex fine capitis huc irrepſiſſe, & πόλιν ob ſequens πόλεως exterminaſſe putem, poſtliminio reſtituendum, legendumque πόλιν pro Φυγὴν, quod hiſtoria ipſa apud Ælianum confirmat. Ejecto enim tyranno, Croeſus urbem Epheſiis conceſſit cum libertate, quam Pindarus oppreſſerat. Idem confirmat in eadem hiſtoria Polyænus *Stratag. Lib. VI. cap. 50. Croeſus in honorem Deæ*, ἐφείσατο ΤΗΣ ΠΟΛΕΩΣ, ὥσπερ ἀναθήματος, καὶ πρὸς τὲς Ἐφεσίες ἐπὶ ἐλευθερίᾳ συνθήκας ἐποιήσατο, hoc eſt, quod Ælianus dicit, τοῖς Ἐφεσίοις συγχωρῆσαι τὴν μετ᾽ ἐλευθερίας πόλιν.

ATHE-

ATHENÆUS Lib. XII. c. 7. p. 529. Sardanapalum deſcribit, μετὰ παλλακίδων ξαίνοντα πορφύραν, ἀναβάδην τε μετ' αὐτῶν καθήμενον ΤΑΣ ΟΦΡΥΣ, γυναικείαν δὲ στολὴν ἔχοντα. Hic τὰς ὀφρῦς vel non ſuo loco poſitum, vel participium aliquod omiſſum eſſe, recte pronunciavit Vir ſummus Caſaubonus p. 840. Cl. autem Trillerus p. 411. *Lib. IV. Cap. 16.* τὰς ὀφρῦς convertit in τοὺς ὄφεις, *armillas* muliebres, ſerpentium formam habentes, quibus ditiores mulierculæ utebantur. Non caret, fateor, hæc conjectura ingenio & eruditione: quo minus tamen aſſentiar, initio quidem in cauſſa eſt, quod ὄφεις ſic ſimpliciter poſitum ejusmodi *armillas* nec deſignare, nec oſtendi videam, Aſſyriorum mulieribus ejus generis armillas, atque ſic appellatas, in uſu & deliciis fuiſſe; deinde nec Auctorum aliquis, qui in deſcribendo Sardanapali habitu ſatis prolixi ſunt, producitur, qvi illarum armillarum mentionem faciat. Abrupta denique & difficilis hoc modo oratio redditur, τὰς ὄφεις, γυναικείαν δὲ στολὴν ἔχοντα, cum δὲ illud multo facilius & evidenter reſpondeat præcedenti καθήμενον, male quoque a V. C. vertatur *æque atque.*

Quare nihil verius putem, quam τὰς ὀφρῦς librarii vitio ſede ſua motum, poſt τὸ ὑπογέγραπτο, quod apud Athenæum ſequitur, reducendum eſſe, ut ſit ὑπογέγραπτο τὰς ὀφρῦς, aut τοὺς ὀφθαλμοὺς καὶ τὰς ὀφρῦς, ut jam opportune in margine Athenæi eſt notatum. Mulieres enim ad formæ commendationem oculos & ſupercilia pingere & diducere ſolebant, ut oculi majores, & ſupercilia latiora viderentur, quod dicebatur ὑπο-

γρα-

γράφεσθαι ’οφθαλμὀς, ut ipſe Trillerus erudite oſtenderat *Cap. XV.* vide & Alciphron. p. 304. De ſuperciliorum ‘υπογράμματι Athenæus Lib. XIII. cap. 3. p. 568. ex Alexi: Τὰς ὀφρῦς πυῤῥὰς ’έχει τίς, ζωγραφὀσιν ἀσβόλῳ. Juvenalis *Satyra* 2. v. 93.

Ille SUPERCILIUM MADIDA FULIGINE tactum
Obliqua PRODUCIT acu, PINGITQUE trementeis
Attollens OCULOS.

ubi Interpretes plura. Petronius cap. 126. *SUPERCILIA USQUE ad malarum ſcripturam CURRENTIA*, vide & hic Interpretes, & inprimis Gonſalium de Salas *ad Petronii* cap. 110. p. 176. ut & Rigaltium *ad Artemidorum* p. 12. Arabes quoque feminæ, antiquorum morum tenaciſſimæ, hodie adhuc fucatis coloribus ſupercilia grandia diducunt, ut majorem venuſtatem & pulcritudinem ſibi concilient, ut docet la Roque *Voyage dans la Paleſtine.* Idem de Perſarum mulieribus refert Chardin *Voyage de Perſe Tom. IV.* cap. 13. p. 156. de Africanis autem & Ægyptiis, Shaw *Voyages* p. 382. qui ritum illum Orientalium, imo & Græcorum & Romanorum illuſtrat. Adde etiam Jobum Ludolfum ad *Hiſtor. Æthiop.* Lib. I. cap. 7. Jeſabel denique Regina oculos fuco finxit, ותשם בפוך עיניה LXX. ἐςιμμίσατο τὀς ὀφθαμλὀς II. Reg. IX. 30. ad quem locum Grotius videatur: eundem morem imitatæ ſunt mulieres Israëliticæ Jerem. 4. 30. conf. Ezech. 23. 40. Reverendiſſimus Potterus ad Clementem Alexandrinum Lib. III. *Pædagog.* p. 294. eodem modo locum Athenæi conſtituit.

K Atque

Atque ſic auctores Sardanapali effeminatos oculos, & *oculorum laſciviam* exagitant, armillas ſilentio prætereunt. Vide etiam Diod. Sic. *Lib. II.* p. 109.

ARRIANUS Lib. VI. de *Expedit. Alexandri* Cap. 13. p. 403. *edit. Blancardi,* in Gronoviana p. 250. de projecta Alexandri audacia, pericula quævis contemnente, Ὑπὸ μένους τε τοῦ ἐν ταῖς μάχαις, καὶ τοῦ ἔρωτος τῆς δόξης, καθάπερ ἐι ΑΛΛΗΣ ΤΙΝΟΣ ἐξηττώμενος. Satis apparet, ἄλλης τινὸς nihil hic valere: quare Clericus *Arte Crit. Vol. II.* p. 46. legere malebat, ὁλκῆς τινὸς, *quemadmodum attractioni cuidam violentæ,* quæ revera emendatio violenta, & vi magna huc pertracta videtur. Gronovius improbata Clerici conjectura, poſt τινὸς inſerit ἡδονῆς, & legit, ὁι ἄλλης τινὸς ἡδονῆς ἡττώμενοι, ex Suida, qui vero ad hunc locum non pertinet, nec bona comparatio inter audaciſſimam fortitudinem & molles effoeminatasque voluptates inſtitueretur. Cl. Trillerus p. 461. leviſſima, ut ait, mutatione legit καθάπερ ἐι ᾽αέλλης τινὸς, h. e. *tanquam turbine & procella* abreptus. Quam ego emendationem ſpecioſius, quam Vir Clar. fecit, commendare poſſem, inſigni Plutarchi teſtimonio. Ita ille de ardentiſſimi Regis temerario ſaltu in *Oxydracis*, de *Fortuna* & *Virtute* Alexandri p. 343. Τίνι ἂν τις ἐικάσειεν, ἢ πυρὶ κεραυνίῳ ῥαγέντι καὶ φερομένῳ μετὰ πνεύματος, οἷον ἐπὶ γῆν κατέσκηψε φάσμα (Φοίβου) φλογοειδέσιν ὅπλοις περιλαμπόμενον, *Cuinam alii rei ſimilem dicas, quam fulminis igni cum procella irruenti, tale tum ſpectaculum in terras ſe dejecit ille ardentibus armis circumfulgens.* Attamen haud

haud ſatis quadrare videntur exempla *procellæ inſtar & fulminis ruere in alios*, & a ſua temeritate tanquam procella ſuperari. Nec dici putem, ἀέλλης ἡττᾶσθαι aut ἐξηττᾶσθαι, *procella abripi*. Simplicius legerim ΑΛΚΗΣ, καθάπερ ἐι ἀλκῆς τινος ἐξηττώμενος, *quaſi vi quadam majore ſuperatus*. Αλκὴ de robore & ſumma vi ſumitur. Arrianus eos, qui ad ſummam vim reſiſtendi converſi ſunt, dicit πρὸς ἀλκὴν τραπέντας Lib. 6. c. 6. p. 241. Ibid. cap. 4. p. 239. ἐις ἀλκὴν χωρήσαντας. Xenophon de *Regno* p. 916. ἀλκὴ ἡ ἐν πολέμῳ. Idem *Hiſt. Græc.* Lib. VI. p. 582. μᾶλλον δȣλείαν ἢ ἀλκὴν μεμελετηκότες. Plutarchus *Alcibiade* p. 199. ῥώμη μετ᾽ ἐμπειρίας πολεμικῶν και ἀλκῆς. Polyænus *Stratagem. Lib. I.* pag. 4. *fortitudo eſt*, ὅςις ἀλκῇ χρησάμενος, πολεμίων μαχομένων ἐκράτησεν. Qui cedit, ἡττᾶσθαι dicitur. Dio Chryſoſt. *Orat. II.* p. 34. ἰσχύι καὶ θυμῷ καὶ βίᾳ μηδενὸς ἡττώμενον, μηδὲ ὑπείκοντα, λογισμῷ δὲ καὶ Φρονήσει ἑκόντα ὑποταττόμενον. Unde toties, qui vi hoſtium majore ſuperantur, ἡττᾶσθαι dicuntur. Dio Chryſoſtomus *Orat. III.* p. 34. ἰσχύι μὲν καὶ θυμῷ καὶ βία μηδενὸς ἡττώμενον Heliodorus *Lib. III.* p. 155. πρὸς βίαν ἥττηται. Dionyſius Halicarn. *Lib. VI.* p. 391. de iis, qui clamoribus expugnantur, dicit ἐξηττώμενοι τῆς κραυγῆς. Ælianus *Hiſt. Animalium Lib. XIV.* cap. 25. ἀλκὴ δὲ ἄρα καὶ ἡ τȣ κήτȣς καὶ ἡ τῶν ὑποζυγίων ἀντίπαλός ἐςιν — mox, τῆς γȣν ἐπ ἀμφοῖν ἕλξεως ἰχθὺς ἡττᾶται. Prudentia igitur Alexandri ab ingenti audacia, tanquam vi quadam ſuperiore, & hoſte fortiore ſuperabatur.

Apud ALCIPHRONEM *Lib. III. Epiſt. 44. pag. 372.* Gryllion quidam veneficarum ope in omnium ſe animos amoremque inſinuaſſe dicitur, Θετ]αλίδα τινὰ γραῦν ἢ ΑΚΑΡΝΙΔΑ φαρμακευτρίαν πεποριςμένος, *Theſſala vetula quadam aut Acarnanide adhibita.* Legendum autem ΑΚΑΡΝΑΝΙΔΑ, tale eſt ἐθνικὸν, ut e Stephano Byzantio patet. Cum vero Theſſalarum quidem magicæ artes ſatis decantatæ ſint, Acarnanidarum non item, Berglerus dubitanter hic Acarnanum mulieres admittit, Trillerus autem plane repudiat, *graviſſimum & turpiſſimum mendum* ſub eo nomine *ſubeſſe* ratus, *quia hac de re nihil prorſus notum ex veterum monumentis* l. c. p. 112. igitur ſubſtituit Δαρδανίδα a Dardano illo mago Ægyptio ob nefanfandas præſtigias celebratiſſimo p. 113. a quo etiam *Dardaniæ artes* nomen eſſent ſortitæ apud Columellam *Lib. X.* v. 358. Nullum tamen exemplum affert ejusmodi *Dardanidis* dictæ, aut *Dardaniæ* potius.

Ego Acarnanibus aut eorum mulieribus magicas artes tanta fiducia minime abjudicaverim, multo minus contenderim, nihil prorſus ea de re notum eſſe e veterum monumentis, quæ nec univerſa, eo vero conſilio minime evolvi, ut Acarnanidas magas conſectarer. In Auctoribus qui ad manus ſunt, talia tamen reperio, quæ rem ſatis probabilem reddunt, apud Acarnanas magos & ſagas fuiſſe. Celebrantur divini viri, extiſpices & vates Acarnanes, talis Megiſtias erat Acarnan apud Herodotum *Lib. VII. cap. 219. 228.* celebratus ob eam artem a Philoſtrato quoque *Lib. VIII. Vit.*

Apollonii

Apollonii cap. 7. p. 350. immo tanta fuit Acarnanæ divinationis inde ab antiquiſſimis temporibus exiſtimatio, ut ipſe Heſiodus vaticinandi artem ab Acarnanibus accepiſſe dicatur, ὡς μαντικὴν Ησίοδος διδαχθείη παρὰ Ακαρνάνων, Pauſanias *Boeoticis* ſeu *Lib. IX. cap. 31.* p. 772.

Erant vates autem præſtigiarum magni magiſtri, ut exemplo conſtat magorum Ægyptiorum, Chaldæorum & Perſarum, amatores præſertim perditi ad eos tanquam ad ſacram ancoram confugiebant, ut amatis amorem injicerent, & duros difficilesque ſibi conciliarent. Talis certe Calaſiris credebatur ἱερογραμματεὺς καὶ προφήτης, quem Theagenes adhibebat συνεργὸν πρὸς τὸν ἔρωτα, Heliodorus *Lib. III.* p. 152. qui etiam Charicliam ad amorem compuliſſe σὺν τέχνῃ πολλῇ καὶ σοφίᾳ πρὸς ἐπιθυμίαν γάμων præ ſe ferebat *Ibid. Lib. IV.* p. 186. Magorum erat illud *amore ligandi* opus. Seneca *Hercule* Oetæo v. 452.

Artibus magicis fere
CONJUGIA nuptæ precibus admiſſis LIGANT.

Nonius *Sagam* interpretatur *virorum indagatricem ad libidinem*, & Lucilius ibidem, *ut ſaga & bona conciliatrix*: cujus furfuris mulieres etiam alibi locorum tali artificio infames fuere, etiam apud Germanos, vide Eccardi *Franciam Orient. Tom. I.* p. 419. nec ignotum hodie adhuc eſt ejusmodi artificium Neſtel-Knüpfen, ne loca Horatii ſatis nota adducam.

Accedit, quod Acarnanes Curetes dicti, Pauſania auctore *Arcadicis cap.* 24. p. 646. licet non ignorem, quæ hic diverſa, afferantur ex Strabone *Lib. X.* p. 714. ſeqq. Curetes autem magicis artibus inclyti, & Idæorum Dactylorum poſteri fuerunt earundem artium fama celebratiſſimorum, a quibus mulieres magicas artes & præſtigias accepiſſe refert Diodorus Siculus *Lib. V.* p. 333. Πολλὰς τῶν γυναικῶν ἔτι καὶ νῦν λαμβάνειν ἐπῳδὰς ἀπὸ τούτου τοῦ Θεοῦ, καὶ περιάμματα ποιεῖν, ὡς γεγονότος αὐτοῦ γόητος, καὶ περὶ τὰς τελετὰς ἐπιτετηδευκότος, *multas mulieres etiamnum ab hoc Deo* (Hercule Idæorum Dactylorum uno) *incantationes accipere, & amuleta quædam circumligare, utpote qui magus fuerit & ceremonias tractaverit.* Quis igitur conſideratior Acarnanidas ab incantationibus & præſtigiis immunes, nec ob eas artes Alciphronis tempore celebritatem adeptas pronunciaverit?

Cavendum autem, ne *Acarnanes* & *Acharnenſes* confundantur, quod feciſſe video & miror Cel. Bayle in *Lexico ſuo* v. *Acarnania*, & propagatum cum aliis erroribus in ſequentes editiones, verſionem etiam Germanicam Lipſiæ prodeuntem. Philoſtratus de *Acharnenſi* loquitur Lib. 4. cap. 21. &c.

Cl. Trillerus medelam Tacito afferre conatur *Lib. III. cap. 10.* ſed fruſtra, ſano nimirum & recte valenti, quod uno alterove exemplo oſtendiſſe ſatis fuerit.

TACITUS *Lib. I. Hiſtor. cap.* 71. Othonem cum Mario Celſo, qui partes Galbæ pertinaciter ſecutus fuerat, in gratiam rediiſſe, quamvis haud ſatis ſincere dicit, addit enim.

Nec

Nec Otho quaſi ignoſceret, ſed ne HOSTIS METUM RECONCILIATIONIS ADHIBERET, ſtatim intra intimos amicos habuit, & mox bello inter duces delegit. Mendum in verbis *metum reconciliationis adhiberet* latere, & legendum V. C. credit, *ſed ne hoſti metus reconciliationis adhæreret*, vel, *ſed ut hoſti metum reconciliationis adimeret*, aut mirifice omnino, *ſed ne hoſtis metum reconciliationis adbiberet.* Neminem autem opinor de medicina hic cogitaturum, qui ad elegantem verbi *adhibere* uſum attendere voluerit, qui eſt *injicere, excitare.* Ita Cicero *de Oratore Lib. 2. cap. 45. Neque fieri poteſt, ut doleat is, qui audit, ut oderit, ut invideat, ut pertimeſcat aliquid, ut ad fletum miſericordiamque deducatur; niſi omnes ii motus, QUOS orator ADHIBERE volet JUDICI, in ipſo oratore impreſſi eſſe atque inuſti videbuntur.* Quintilianus autem eadem phraſi uſus eſt qua Tacitus *Lib. I. Inſtit. Orat. cap. 3. Denique, cum parvulum verberibus coëgeris, quid juveni facias, CUI non ADHIBERI poteſt hic METUS, & majora diſcenda ſunt?* Inde quoque apparet *hoſti* legendum eſſe apud Tacitum & de Mario Celſo intelligendum, cui metum Otho eximere hac ratione volebat, quem ob reconciliationem concipere poſſet. Male Lipſius Vitellium intelligit, & *hoſtis* legit.

TACITUS Lib. 5. Hiſt. cap. 4. Fabulam habet de aſino Judæis per deſerta errantibus fontem monſtrante, & propterea inſigni religione culto. *Effigiem animalis, quo monſtrante ERROREM SITIMQUE DEPULERANT, penetrali ſacravere.* V. C. p. 194. *errorem* commutat in *ardorem* vel *moerorem.*

Atqui

Atqui, ſi aſinorum grex errantibus fontem indicavit, recte dicit, *eo monſtrante errorem ſitimque depulerant.* Oblitus deinde V. C. elegantiæ & acuminis Taciti videtur, qui ejusmodi nomina diverſæ ſignificationis cum uno eodemque verbo ubique fere conjungere ſolet, quod uni duntaxat nomini competere videatur. Evolvat aliquis modo *Lib. 4. Hiſtoriarum,* affatim exemplorum inveniet. p. 398. edit Lipſii, qua utor, *quos ubi Spoliis & Sanguine expleverint* p. 402. *aperta odia armaque palam depelli,* mox, *fortunam virtutemque exſolverent* p. 403. *miſceri cuncta tenebris & armis jubet.* p. 405. *ſimul vaſtatione incendiisque flagrantium villarum* &c. Ex eadem ratione alter locus Taciti *de moribus Germanorum* cap. 8. ubi de mulieribus Germanorum, *Cibosque & hortamina geſtant,* facili negotio defenditur: mulieres illæ fortitudinis erant incitamentum, *Memoriæ proditur,* ſic pergit Tacitus, *quasdam acies inclinatas jam & labantes à foeminis reſtitutas conſtantia precum & objectu pectorum, & monſtrata cominus captivitate.* Unde factum eſt, ut mulieres aliquando conſiſtere à tergo pugnantium virorum juberent, *HORTAMENTA victoriæ, vel pulſis pudorem,* eodem Tacito teſte *Lib. IV. Hiſt.* p. 400. Tanta luce hæc coruſcant, ut in fumum abeat emendatio Cl. Trilleri p. 196. ſatis inſolens, *Cibosque & hordei vina vel hordeacea vina pugnantibus geſtant,* eo tantum opinor conſilio excogitata, ut, quæ in adverſaria de hordeaceo illo vino ſeu cereviſia contulerat, effundere poſſet.

Idem

Idem fere judicaverim de emendatione Taciti *Lib.* 5. *Hiſt. cap.* 5. *Corpora CONDERE, quam cremare è more Ægyptio.* ubi mavult *condire*, atque de pollinctura Ægyptiorum commentatur: quaſi Ægyptii & Judæi *non conderent corpora*, i. e. monumentis inferrent, ſed cremarent, ſemperque dicendum eſſet *corpora* eos *condire*; nec de Jacobi patriarchæ & Chriſti corporibus tali pollinctura curatis dici liceret *condita* fuiſſe monumento, ut tamen dicitur Gen. L. 13. Joh. XIX. 42. Cicero pariter *condere* diſtinguit à *cremare*, & opponit *Lib.* 2. *de Legibus cap.* 22. *In ſepulcro regem noſtrum Numam CONDITUM accepimus. Sulla primus è patritiis Corneliis igni voluit CREMARI.* Juſtinus *Lib.* 12. *cap.* 15. De Alexandro M. *CORPUS ſuum in Hammonis templo CONDI jubet.* Pollinctum tamen ante fuit. Ægyptii Chaldæique *juſſi corpus ſuo more curare*, Curtio teſte *Lib.* 10. *cap.* 10.

CAPUT IX.

CAPUT IX.

Heliodorus emendatus. Η μὴν *revera*. Ælianus explicatus. Εγκαλύπ]ονται. Cædes poſt velum fiebant, Æſchylo auctore. Αποσφαττόμενος χόρος. Chorus e gregariis & plebejis hominibus conſtabat. Irus ab Ulyſſe occiſus. Luciani vexatiſſima σφίγγια vindicantur. Sunt *vincula* cervicem conſtringentia. Κεράλια κολλάρια, ditiorum muliercularum ornatus. Avari aureo collari vincti. Idem emendatus & defenſus locis difficillimis.

HELIODORUS Lib. II. p. 117. *Tibi vero & Diis in manus trado puellam*, ἐπὶ συνθήκαις ταῖς ἐνωμότως ἡμῖν γενομέναις, ΗΜΙΝ ἐλευθέραν ταύτην ἕξειν, καὶ ἐλευθέρῳ πρὸς γάμον ἐκδώσειν. Poſterius ἡμῖν ortum e priori videtur, atque emendandum ἦ μὴν, *vere*, *certo*, *omnino*, quod in jurejurando & conditionibus jurejurando firmandis & firmatis ſequi ſolet. Heliodorus *Lib. IV. p. 195. Jurabat* Theagenes *per Apollinem Delphicum*, *Dianam & Venerem ipſam & amores*, ἦ μὴν ἅπαντα οὕτω ποιήσειν, *revera*, *omnino*, *ita ſe facturum.* Ib. *Lib. VIII. p.* 378. Θεοὺς ἐπόμνυμι πάντας, ἦ μὴν λυθήσεσθαί σοι πάντα τήμερον. Xenophon *Inſt. Cyri Lib. VI. p. 169.* Επομνύω σοι τὴν ἐμὴν καὶ σὴν φιλίαν, ἦ μὴν ἐγὼ βούλεσθαι ἂν κ. λ. Sic & *Lib. VII. p. 181.* occurrit etiam in Smyrnæorum & Magnetum foedere in Marmoribus Oxonienſibus p. 10. *Adjuranto ſcribas ſuper ardentibus templi magnæ matris victimis*, ἦ μὴν ἀπὸ τοῦ βελτίστου ἀνενηνοχέναι τὴν γραφὴν τῶν ὄντων παρ' αὐτοῖς κατοίκων, ubi male vertitur *nempe*. occurrit etiam in Foedere inter Hierapytnios & Prianſios

anſios H *μὰν*, quod Chishull rectius exponit *vere*, & ab Hebraico אמן derivat, *Antiquit. Aſiat.* p. 136.

ÆLIANUS Lib. II. Cap. XI. *Var. Hiſt.* Socrates ad Antiſthenem dicit, non eſſe, quare aliquem tenuis ſuæ conditionis poeniteat, cum monarchas & tyrannos, Agamemnonem, Ægiſthum & ceteros, tam horrendi exitus maneant, atque ſic in tragoediis exhibeantur, Οὗτοι μὲν γὰρ ἀποσφαττόμενοι καὶ ἐκτραγωδούμενοι, καὶ πονηρὰ δεῖπνα δειπνοῦντες, καὶ ἐσθίοντες ἑκάστοτε ἐκκαλύπτονται, vertitur: *Nam illi obtruncati & in tragoediis decantati, mala fercula coenaſſe atque comediſſe, ubique produntur.* Mendum animadvertit Caſaubonus, & pro ἐκκαλύπτονται legit ἐκκυκλοῦνται, ſed defendit prius cum Kuhnio Perizonius, idem ſignificans, *publice traducere*, & addit, *proprium eſſe rei, quæ remoto velo oſtenditur, ut ſit in ſcena, quando aliquid, veluti cædes, ſpectandum populo exhibetur.* Sed ob eam quidem rationem ἐκκαλύπτονται minus placeret, eo quod Æſchylus eum morem, publice coram populo cædes & ſimilia in Tragoedia exhibendi, jam correxerat, atque poſt velum & ſcenam atrocia illa & viſu horrenda rejecerat, teſte Philoſtrato *Lib. VI. de vita Apollon. Cap. XI. p. 244.* Τὸ ὑπὸ σκηνῆς ἀποθνήσκειν ἐπενόησεν, ὡς μὴ ἐν φανερῷ σφάττοι. Quare pro ἐκκαλύπτονται potius legerem ἐγκαλύπτονται, hoc ſenſu: *poſt velum & ſcenam occiduntur, & nefarias illas coenas coenant.* Saltem velum non removebatur, cum caedes eorum & humanarum carnium coenæ fierent, ut Perizonius interpretatur. Alias etiam, qui nefanda faciunt aut patiuntur, velati videri nec

 volunt,

volunt, nec debent, ʼεγκαλύπτονται. Ælianus *Lib. XII. cap.* 47. Δι' ʼαιδȣ̃ς ʼεγκαλυπτομένη. Ælianus *Hiſt. Animal. Lib. VII. c.* 12. Πάντως ἐγκαλύπτονται. Quorum cædes deſtinata erat, obvolvebantur. Cicero *pro Rabirio* cap. 4. habet hæc ſolemnia verba: *I lictor, colliga manus, OBNUBITO CAPUT, arbori infelici ſuſpendito.* Cæſar, cum ictibus conjuratorum peteretur, *caput toga obvolvit,* Svetonius cap. 82. eadem conſuetudo apud Perſas obtinuit Libr. Eſther. cap. 8. 7.

Quod ſi tamen retinenda eſt vulgaris lectio ʼεκκαλύπτονται, atque in genere ad tragoedias reſpiciendum, monarchas ejusmodi & horribiles exitus decantantes, illuſtrari Ælianus poteſt e Luciano de *Mercede cond.* p. 479. ſimiliter fere de ejusmodi hominibus judicante. *Omnes enim ſunt ſimiles pulcherrimis iſtis libris, quorum aurei umbilici, purpurea foris pellis, ſed intus vel eſt Thyeſtes liberos ſuos devorans, vel Oedipus matris maritus: vel Tereus cum duabus ſimul ſororibus rem habens;* Τοιȣ̃τοι καὶ ἀυτοί εἰσι λαμπρoὶ καὶ περίβλεπτοι. ἔνδον δ' ὑπὸ τῇ πορφύρᾳ ΠΟΛΛΗΝ ΤΗΝ ΤΡΑΓΩΔΙΑΝ ΣΚΕΠΟΝΤΕΣ, quæ ſcilicet in theatro ἐκκαλύπτεται. Dio autem Chryſoſtomus ita ad Socratis dictum reſpexiſſe videtur, ut id fere expreſſerit, *Orat.* XIII. p. 224. καίτοι τραγωδȣ̀ς ἑκάςοτε ὁρᾶτε τοῖς Διονυσίοις, καὶ ἐλεεῖτε τὰ ἀτυχήματα τῶν ἐν ταῖς τραγωδίαις ἀνθρώπων· ἀλλ', ὅμως ȣ̓δέποτε ἐνθυμήθητε — ȣ̓δὲ ὅτι πένης τίς ἐςιν, ȣ̓δεὶς ἕνεκα τȣ́τȣ τραγωδίαν ἐδίδαξεν· τȣ̓ναντίον γὰρ περὶ τȣ̀ς Ατρέας καὶ τȣ̀ς Αγάμέμνονας καὶ τȣ̀ς Οιδίποδας, ἴδοι τὶς ἂν πάσας τὰς τραγωδίας, οἱ πλεῖςα ἐκέκτηντο χρήματα χρυσȣ̃ καὶ ἀργυρίȣ κ. λ. *Atqui Tragoedos*

goedos frequenter videtis in Bacchanalibus, & miſeremini calamitatum hominum in tragoediis; nunquam tamen animadvertitis — quod nemo pauperis cauſſa tragoediam docuerit. e contrario autem de Atreis & Agamemnonibus & Oedipodibus videat aliquis omnes tragoedias, qui plurimum auri & argenti poſſident.

Apud *ÆLIANUM* in eodem Capite: *Nemo vero poetarum Tragicorum eo progreſſus eſt audaciæ & impudentiæ*, ὥςε εἰσαγαγεῖν εἰς δρᾶμα ἀποσφαττόμενον χοῖρον, *ut in drama induceret mactatum porcum.* χοῖρος hic nulla ratione locum tueri poteſt, uti recte cenſuere Viri docti. Quomodo enim monarchis porci oppoſiti anteferrentur? aut cum Socrate & Antiſthene comparabuntur? Frigida etiam ſententia foret, mactatos porcos in theatrum non induci, qui alibi tamen quotidie mactantur, & propterea aluntur. Ex emendationibus plurimis, quas Interpretes, Trillerus item, adduxerunt, nulla adeo placet, quam Holſtenii, a Scheffero & Perizonio quoque adoptata, legentis χόρον, *chorum*, qui e gregariis hominibus & plebejis conſtabat, atque a violentia & nece ſecurus erat. Adblandiebatur aliquando emendatio Ἶρον, ut *Irus* opponatur principibus & ditiſſimis, quos βαρύτατα πλουτοῦντας hic Ælianus appellat, quam emendationem Fabro in mentem quoque veniſſe, poſtea vidi; eam tamen abjeci, quod Irus vix locum habere in Tragoedia poſſe videatur, ut Schefferus jam monuit. Si vero Irus in Tragoediam inductus fuiſſet, omnino ἀποσφαττόμενος oſtendi potuiſſet, occiſus quippe ab Ulyſſe reduce.

LUCIANI locus variis & diſcrepantibus ſummorum virorum ſententiis vexatus & propemodum conclamatus habitus eſt *in Apologia pro mercede conductis* p. 482. ubi objicientem ſibi aliquem fingit, quaſi ſtipendio a principe accepto alieno ſeſe arbitrio plane permiſiſſet & ſervile jugum ſubiiſſet; Παρέχειν ἑαυτὸν ἕλκεσθαι καὶ φέρεσθαι, καθάπερ κλοιῷ τινι χρυσῷ τὸν αὐχένα δεθέντα, οἷα ἐςὶ τῶν τρυφώντων πλȣσίων ΤΑ ΣΦΙΓΓΙΑ, ΚΑΙ ΤΑ ΚΟΥΡΑΛΙΑ. In poſtremis verbis tantum eſt ſententiarum divortium, ut majus vix eſſe queat, quod notæ ſubjectæ, Grævii etiam & Gronovii ad calcem iſtius Tomi rejectæ, docent. Grævius Bocharto fere accedit, & per σφίγγιον *animal* intelligit, *quod torque ducebatur & trahebatur ad libitum Domini, inſtar* σφιγγὸς *ſimiæ. Sic* in præcedenti Diſſertatione *de mercede cond.* p. 471. ejusmodi hominem *cum leone comparari* ait, *qui filo vinctus ſurſum & deorſum circumfertur.* Gronovius ad Salmaſium provocat, qui *ad Solinum* oſtenderit, σφιγγία eſſe *animalcula*, Latine *Spinturnicia;* adoptat hanc quoque ſententiam Ezechiel Spanhemius *de uſu & præſt. numiſm.* Diſſ. V. p. 242. & σφίγγια exponit *exiles ſphinges.* ſic Triumviri illi. (*)

Sed, ſi Luciani locum accurate ob oculos ponas, de talibus animalculis & aureo quidem torque donatis nihil omnino

(*) Auxit conjecturarum numerum recentiſſima editio. Cl. Gesnerus proponit σκιȣράλια *Sciuros olim amabiles.* Jenſius legit κȣράλλιον quod proxime accedat ad Heſychii κωράλλιον, παιδάριον.

mnino videbis. Lucianus dicit: *ſe ipſum trahendum & huc illuc ferendum præbere, quaſi cervicem aureo collari vinctum, qualia luxuriantium divitum ſunt ſphingia & κϰράλια.* Hinc ſequeretur: delicatos illos & divites nulla animalcula præter ſpinturnicia deliciarum & voluptatis cauſa aluiſſe, & aureis torquibus ornaſſe, atque eo quidem conſilio, ut huc illuc traherent & crudeliter raptarent: quod non modo probatum non eſt a Viris doctis, ſed etiam conſuetudini & moribus delicatorum refragatur, qui talia animalcula in deliciis habere, fovere, non raptare ſolent. Nec a Salmaſio, Sphingia eſſe *Spinturnicia* oſtenſum: locum autem Plinii ex *Lib. VI.* §. 34. SPHINGIA *MANCIPIA*, a Spanhemio afferri quidem, ſed ſpinturnicibus haud recte applicari video.

Accedit apud Lucianum Κϰράλια, quod Salmaſius exponit *parvas puellas*, *pupas*, imagunculas cereas, a κόρη, applaudente Gronovio, ſed improbante merito Spanhemio p. 243. pertinet illa expoſitio revera ad luſus & jocos. Spanhemius pro κϰράλια legit κολϰρας, vel forte κλάρας, h. e ſimiarum aliam ſpeciem, cauda carentium, de quibus Salmaſius *ad Solinum* p. 267. Sed eodem vitio laborat hæc emendatio, quo τῶν σφιγγίων per *Spinturnicia* explicatio. Satis admirari non poſſum, tantos Viros hic tantum *animalcula* videre voluiſſe, de quibus Lucianus ne cogitaſſe quidem videtur.

Σφίγγια hic ſunt *vincula* in genere, *cervicem*, *manus*, *pedes conſtringentia*; κϰράλια autem κολλάρια collo injecta: Σφίγγιον eſt a σφίγγω, *conſtringo*, *vinculis*, *torque*, *catena*, *unco*.

Dio

Dio Chryſoſt. *Orat.* X. p. 144. Πάλιν ἐπιδεῖς τε καὶ σφίγγεις τὸν πόδα, de calceo urgente. Heliodorus *Lib. III. p. 130.* κρηπὶς μὲν αὐτοῖς ἱμάντι φοινικῷ διάπλοκος ὑπὲρ ἀςράγαλον ἐσφίγγετο. Septuaginta Interpretes, ſic vulgo dicti Exod. XXVIII, 28. Καὶ σφίγξεις τὸ λογεῖον, unde idem vocabulum habet Philo. IV. Reg. XII, 10. Καὶ ἔσφιγξαν καὶ ἠρίθμησαν τὸ ἀγύριον. Ælianus *Hiſt. Anim.* Lib. VI. c. 21. p. 346. de Dracone elephantem ſpiris ſuis ſtrangulante: Σφίγγων ἀπάγχει τὸ θηρίον ἀήθει βρόχῳ καὶ καινῷ. Idem *Lib. XIII. cap. 6.* p. 755. de Polypode, vaſa teſtacea ſic conſtringente ταῖς πλεκτάναις, ut frangerentur, σφίγγων τὸν κέραμον ἐῤῥήγνυ τὰ ἀγγεῖα. Diodorus Siculus *Lib. IV. p. 218.* de Hercule puero, immiſſos a Junone ſerpentes manibus elidente: Ὁ δὲ παῖς ἑκατέρᾳ χειρῶν τὸν αὐχένα σφίγξας ἀπέπνιξε τὰς δράκοντας. LXX. Interpretes Prov. V. 22. Σειραῖς δὲ τῶν ἑαυτῦ ἁμαρτιῶν ἕκαςος σφίγγεται. Symmachus Prov. VI. 21. habet σφίγξον, ubi in Hebr. eſt ענד, & LXX. habent eleganter ἐγκλοίωσαι περὶ σῷ τραχήλῳ. Pollux compoſitum habet τ' ὀφθαλμῶ περισφίγξαντες ταινίᾳ *Lib. IX. §. 123.* Lucianus *de Luctu* p. 306. Τὰ ἔρια, οἷς μὲ τὰς σιαγόνας ἀπεσφίγξατε. Herodianus *Lib. 1. cap. 17. circa finem* ἀποσφίγξας τὸν τράχηλον φονεύει. Ælianus *Hiſt. Anim. Lib. VIII. cap. 18. p. 497.* adhibuit σφίγξις de *piſciculis* confertis turmis & innexis natantibus, ne diſſociati inſidiis & violentiæ pateant, συνθεῖ εἰς ἄλληλα καὶ ἐχόμενον τῦ πλησίον ἕκαςον τῇ σφίγξι τὸ ῥαδίως ἐπιβελεύεσθαι διαπέφευγε. Animal ipſum *Sphinx* Etymologici M. auctor derivat a σφίγγω, quod *implexa* loqueretur

&

& auditores implicaret & conſtringeret. Σφιγγία habet Siracides de nimia parſimonia, divitiarum cupidum angente & conſtringente, XI. 18. Ἐςὶ πλȣτῶν ἀπὸ προσοχῆς καὶ σφιγγίας αὐτȣ͂.

Igitur σφίγγια hic ſunt *vincula, quæ conſtringunt cervicem*, τὸν 'αυχένα σφίγγοντα, uti de Hercule Diodorus dixerat l. c. & κȣράλια convertenda in κολλάρια, ut recte Almelovenius docuit. Σφίγγια καὶ κολλάρια ſatis apud Lucianum explicantur verbis præcedentibus, καθάπερ ὑπὸ κλοιῷ τινι χρυσῷ τὸν αὐχένα δεθέντα. Nempe κλοιὸν χρυσὸν mercedem appellat, & ſtipendium, quod τρυφῶντες πλȣσίοι litteratis & philoſophis offerre & dare, at ſic collare imponere ſolebant, & jugum ſervile, quo diris eos modis vexarent. Dio Chryſoſtomus Orat. 80. p. 660. voluptatem ſic homines aureo collari injecto trahere, & raptare dicit, κλοῖον τινα φέρȣσα χρυσȣ͂ν ἢ ἀργυρȣ͂ν, τȣ͂τον δὲ περιθεῖσα, ἕλκει. κ. τ. λ. quemadmodum Cyrus olim Aſtyagen aureis vinculis vinxiſſet. idem pariter p. 667. 668. voluptatibus & auri præſertim cupiditati deditos ſexcentis & pluribus vinculis conſtrictos dicit, ȣ̓χ ἑνὶ δεσμῷ μόνον περιβάλλοντες, ȣ̓δὲ δυσὶν, ἀλλὰ μυρίοις, ὑφ' ὧν ἄγχεσθε καὶ πιέζεσθε, πολὺ μαλλον ΤΩΝ ΕΝ ΑΛΥΣΕΙ ΤΕ ΚΑΙ ΚΛΟΙΩΙ ΚΑΙ ΠΕΔΑΙΣ ΕΛΚΟΜΕΝΩΝ.

Egregie etiam Clemens Alexandrinus mulieres exagitat collaribus aureis ſuperbientes, quaſi vinculis aureis, quibus Barbari captos & κακȣ͂ργȣς vincire ſolent, conſtrictas: τȣ́τȣς ἐζηλωκέναι δοκȣ͂σί μοι αἱ γυναῖκες τȣ̀ς δεσμώτας τȣ̀ς πλȣσίȣς·

Η γὰρ ἐχὶ κλοιὸς τὸ χρυσῦν ἐςι περιδέῤῥεον, καὶ οἱ ςρεπτοὶ, οἵ τε καθετῆρες καλέμενοι, ἁλύσεων ἐπέχοντες τρόπον; κ. λ. Lib. II. *Pædag. p. 244. edit. Oxon.* ubi in notis plura.

Igitur ſenſus Luciani eſt, mercedem & ſtipendia, quæ principes, & in genere ditiorum nonnulli, litteratis & philoſophis offerunt, eſſe τῶν τρυφῶντων πλȣσίων σφίγγια καὶ κολλάρια, nam ea qui acceperit, atque in aulam & divitum familias ingreſſus fuerit, *collare, aureum* quidem, attamen collare & jugum ſervile in cervicem ſuſcipere, atque foedæ & iniquisſimæ ſe ſervituti addicere, ut ex nutu Domini pendeat, & pro libidine huc illuc raptetur, & indignis modis habeatur: mancipiorum & captorum more, qui collari, unde catenæ pendent, vincti, huc illuc tracti peſſime haberentur. Ad mancipia enim & captos reſpicit, non vero ad animalcula illa mirifica & monſtroſa. Idem ſenſus evidens eſt e præcedenti Luciani *de mercede conductis* tractatu, ubi ejusmodi homines mercede conductos, in *retia ſe induere, frenum accipere* docet p. 458. 462. *mancipia fieri* p. 463. qui quaſi cyphone & collari incurvati, viles animæ, fœdiſſima quæque ſervitia obeant, θητεύσεις κάτω νενευκὼς, id vero collare facit, vide ſupra cap. II. dicta, ἕωθεν ἐς ἑσπέραν ἀεικελίῳ ἐπὶ μισθῷ. Sic & p. 464. & cet.

Κολλάρια *ſunt vincula colli*, Latine *collaria*, quod vocabulum ad Græcos tranſiit. Scholiaſtes Ariſtophanis *ad veſpas* v. 892. Κλοιὸς τὸ κολλάριον, τὸ παρ' ἡμῖν λεγόμενον, ᾧ εἰώθασι τȣ̀ς κύνας δεσμεύειν ἐν τοῖς ἀγροῖς. vide & dicta *cap. 2.* imo &

Chal-

Chaldæis & Talmudicis evaſit eadem vox familiaris, quam efferunt קולר & קולרין, vide Buxtorfii *Lexicon.* Servi fugitivi antiquiſſimis temporibus collari vinciebantur apud Romanos, vide Pignorium *de Servis.* Quod ſi autem τὸ κολλάρια hic interpretationis cauſſa à manu recentiore adjectum aliquis exiſtimare velit, ita ut σφίγγια exponat, non habebit me valde repugnantem, ut enim Scholiaſtæ κλοιὸν per recentius vocabulum κολλάριον exponunt, ſic fieri potuit, ut aliquis ad σφίγγια gloſſæ loco adlineret τὰ κολλάρια.

Duo adhuc Luciani loca adjiciam difficillima explicatu, quæque ingenia & ſagacitatem doctiſſimorum Virorum etiam in recentiſſima editione vehementer exercuere. Prior eſt in *Navigio* ſeu *votis* editionis penultimæ p. 494. in noviſſima Tom. 3. p. 252. ubi de ſplendida & ingenti nave Alexandrina, ὁ μὲν γὰρ ἄλλος κόσμος αἱ γραφαὶ καὶ ΤΟ ΙΣΤΙΟΥ ΤΟ ΠΑΡΑΣΕΙΟΝ πυραυγὲς, vertitur in poſtrema editione à Cl. Gesnero egregie refiсta: *ornatus enim reliquus, picturæ & ſupparum veli colore flammeo.* Salmurienſis verterat, *veli paraſium flammeum*, legebatur ante enim παράσιον. Grævius παράσιον convertit in καρχήσιον, ex Florentina ut ait editione, hoc epiphonemate adjecto, *quid* παράσιον *Græcis, Latinis paraſium ſit, quærant quibus libet bonas horas perdere.* Confutavit Jacobus Haſæus diſſertat. *de navibus Alexandrinis* Grævium, quod καρχήσιον eſſet gloſſema vocum τȣ̃ ἱςίȣ παράσιον, atque pro vulgato παράσιον legendum docet τὸ παράσειον, ſcil. μέρος, i. e. *verſatilem mali partem.* De ſcriptura Haſæo adſentitur Cl. Reizius, & errorem Grævii notat in prodenda

Florentinæ ſcriptura, quæ non καρχήσιον, ſed παράσειον exhiberet, æque ac Scholiaſtes, quod ex ingenio Haſæus vidiſſet. Cl. autem Gesnerus παράσιον idem eſſe putat, quod alias σιφάριον vocatur *ſupparum*, velum minus ſplendidi coloris, majori impoſitum, quod ex Seneca *epiſt.* 77. non modo adſtruere, ſed etiam *in Addendis* p. 859. defendere conatur contra Haſæi ſententiam: Scholiaſtæ auctoritas eſſet pene nulla παράσειον neque auctorem haberet, neque certam analogiam, & ſi luberet à παρασείω derivare, etiam *ſupparo* competeret, quo maxime navis *urgeretur*, ut Seneca dicit, i. e. promoveretur παρασείεται, denique pro παράσειον legit σιπάριον aut συπάριον. Multa huic commentationi obverti poſſent, e. g. in vocabulis inſolentioribus, partem aut ſuppellectilem navium antiquarum deſignantibus, ea ratione procedi non poſſe, quod inſolentia ſint & rariſſime occurrant, nec analogiam anxie indagandam, antiquis forte nautis & peritiſſimis duntaxat cognitam: quemadmodum hodie doctorum virorum nemo fere reperiretur, qui vocabula partium navis, funium præſertim & velorum omnia calleret, & etiamſi audiat legatve intelligeret: incommode etiam παρασείεται exponi *promovetur &c.*

Miror, doctiſſimis viris Athenæi locum latere potuiſſe, ubi in nave magnificentiſſima Philopatoris *Thalamegon* dicta ſimile vocabulum occurrit *Lib. 5. cap. 9. p. 206.* ὁ δὲ ἱςὸς ἦν αὐτοῖς ἑβδομήκοντα πηχῶν, βύσσινον ἔχων ἱςίον, ἁλεργεῖ ΠΑΡΑΣΕΙΡΩΙ κεκοσμημένον, vertit Dalecampius, *malus ejus cubitorum*

ſeptua-

ſeptuaginta fuit, velum byſſinum purpureis funibus ornatum. Ad hunc locum Caſaubonus in *Animadverſionibus* p. 359. *Ignotæ ſignificationis verbum hic eſt* παράσειρον, *ſed vel funes ſignificat, ut explicat Dalecampius : vel aliud neſcio quod ad oras veli appenſum ornamentum, inſtar prætextæ aut fimbriarum.* utrobique navis eſt Ægyptia, idem hic locus τῷ παρασείρῳ aſſignatur, atque παρασίῳ apud Lucianum, ἀλεργὲς fuiſſe dicitur, ut Luciani πυραυγὲς, analogia certa eſt à σείρα, unde *equus* παράσειρος, qui extra jugum catenam fert, funem aut habenam. Igitur apud Lucianum legerim ΤΟ ΠΑΡΑΣΕΙΡΟΝ. Perinde autem fuerit, ſive *funes* intelligas *purpureos* cum Dalecampio, ſive *prætextam* cum Caſaubono, ſive *ſupparum* cum Gesnero: cum poſtremo ſi feceris, ſubaudias ἵςιον, ut velum ſupremum intelligatur minus fune alligatum majori, quod proprie & κατ' ἐξοχὴν vocetur ἵςιον, de quo plura Cl. Gesnerus.

Habebant autem Ægyptiæ naves etiam *vela purpurea.* v. c. Cleopatræ navis, de qua Plutarchus, τῶν μὲν ἱςίων ἁλουργῶν ἐκπεπετασμένων, *Antonio p.* 927. navis illa Thalamegon dicta apud Athenæum l. c. aulæa purpurea habebat αὐλαίαι κατὰ τὸν ἀνάπλουν ἁλουργεῖς ἐνεπετάννυντο. Purpura autem ad *ignis* quoque fulgorem accedit, ut ad auroræ & ſolis, plurimis id oſtendit Bochartus ὁ πάνυ *Hieroz. P. 2. Lib. 5. cap. 10.* quale pallium Jovis Capitolini erat, *divini fulgoris*, Vopiſcus *Aureliano* cap. 29. hinc apud Athenæum ἀλουργὲς idem eſſe poſſit ac Luciani πυραυγές.

Sequitur apud Lucianum l. c. Καὶ πρὸ τούτων αἱ ἄγκυραι καὶ ΣΤΡΟΦΕΙΑ, ad quæ Moſes Solanus: *nolunt grammatici hanc vocem de Cylindris uſurpari, quorum ope Ancorarum ſunes & ipſa demum ancora tollitur; ego tamen, qua ratione de alia re hic uſurpetur, non video.* Recte: ſic Apulejus *Lib. XI. Metamorph. p. 379. donec muneribus largis & devotionibus fauſtis completa navis, abſoluta STROPHIIS ANCHORALIBUS, peculiari ſerenoque flatu, pelago redderetur.*

Alter Luciani locus eſt *in Dialogo. 28. mortuor.* ubi de Tireſia vate a muliebri ad virilem conditionem reduci, καὶ οἱ μασθοὶ ἀπετάκησαν *mammæ emarcuerunt*, quod in noviſſima editione p. 446. in Textum receptum eſt, ex emendatione Grævii, legebatur enim ante ἀπετάθησαν, applaudentibus viris doctiſſimis Hemſterhuſio & Jenſio; ſcrupulum tamen merito injecit Gesnerus in Hemſterhuſii præfatione ad Tom. I. p. XXXV, qui conſtantem omnium librorum ſcriptionem tuetur, & vertit *extenſæ ſunt* non in longitudinem dependentem, ſed crati pectoris *intentæ*, ut nihil pendens relinquatur. Cl. Hemſterhuſius ſublatam omnis dubitationis cauſſam fore fatetur, ſi ſcriptoris vetuſti ad uſum eum verbi ἀποτείνεσθαι firmandum auctoritas accederet. Quamvis autem verbi reique conſideratio ſufficere poſſit, affero tamen Lucianum ipſum *Toxari* p. 52. de pedibus vincto, οὐδὲ ΑΠΟΤΕΙΝΕΙΝ τὰ σκέλη δυνάμενος ἐν τῷ ξύλῳ κατακεκλεισμένα, *neque extendere crura poterat, ligno incluſa*, nec curvata protendere. Sic mammæ muliebres altiores ſunt, virorum depreſſæ & extentæ. Idem Lucianus *Hermotimo* p.512. ΑΠΟΤΑΘΕΙΣΗΣ τῆς συνουσίας, *converſione producta, extenſa.*

CAPUT X.

CAPUT X.

Anonymi in Dionem Chryſoſtomum notas & emendationes examinat. Caſauboni emendatio vindicatur. Alius locus reſtituitur. Pindarus Μȣσοποιός. Dio vindicatur. Σκολιὸν & παῖαν diverſum. Id convivis quibuscunque, hic etiam Rege dignus. Φράτορες. Dio vindicatur. Item in ἔμφρων. Ἐκβάλλειν ναῦν. ἃ δεῖ in Dione expungitur. Nonnulla loca expenduntur ab alio Viro docto tentata.

Edidit Cl. Wolfius, Tomo I. *Anecdot. Gr.* p. 217. *Notas & Emendationes* in *Dionem Chryſoſtomum* exemplari Bibliothecæ Bodlejanæ adſcriptas a Viro quodam docto anonymo, quem ob ἀγχινοίαν, *acumen & ſingularem Græcæ linguæ notitiam* laudat, ejusque conjecturas aut ſuo more confirmat, aut refellere conatur. Quam quidem laudem notæ illæ & emendationes minime mereri videntur: ſunt enim maximam partem conjecturæ inanes, temere in chartam conjectæ, idoneis argumentis deſtitutæ, nec a Wolfio ſatis defenſæ aut confutatæ. Diſplicent in primis Anonymi illius in Caſaubonum, infinitis modis doctiorem, inſultationes fere pueriles, Viris humaniores literas colentibus indigniſſimæ, & æternis potius tenebris damnandæ &c.

Vitia iſtarum emendationum aliquot exemplis oſtendiſſe, operæ pretium fuerit.

In Dionis *Orat. I. de Regno* p. 8. B. 3. μακάριοι δὲ ὑμεῖς, Anonymus legit ἡμεῖς, i. e. beati autem & nos. *Felicem hanc*

eſſe

eſſe conjecturam, addit Wolfius, *dictionis ſeries evincit.* Atqui ſic jam Caſaubonus emendaverat: *Rectius tamen* (ejus ſunt verba in *Diatriba*) *ſine dubio* ἡμεῖς, *ne ad paucos reſtringatur utilitas ex bono principe, ſed ad omnes ejus ſubditos, inter quos & Dio.*

Ibid. & *pag.* 12. D. 3. pro ἐδ' Ευρυσθέα Anonymus legit, οἱ δ' Ευρυσθέα φασὶ βασιλεύειν τότε, i. e. *atque Euryſtheum ajunt tunc regnaſſe*, Wolfius addit: *Recte omnino, ut & Interpres expreſſit.* ſed tunc quidem verti deberet: *Nonnulli Euryſtheum tunc dicunt regnaſſe.* At toto loco accuratius conſiderato illa emendatio ſtare non poteſt. Vulgatum illud ἐδ', ſede ſua motum, reducendum eſt ante φυλάττων τὴν ἀρχὴν, atque ſic aptiſſime omnia cohærebunt. *Hercules*, Dio ait, *Rex fuit non modo Argivûm, ſed totius Græciæ; hoc autem complures non norunt*, ἀλλ', ὅτι αὐτὸς ἀπεδήμει στρατευόμενος καὶ ἐδὲ φυλάττων τὴν ἀρχὴν, Ευρυσθέα φασὶ βασιλεύειν τότε, *ſed quod abeſſet bella gerens, nec domi ſedens regnum ſervaret, Euryſthea dicunt tunc regnaſſe.* Male Interpres φυλάττων τὴν ἀρχὴν vertit *defendere principatum*, cum opponatur τῇ ἀποδημίᾳ Herculis, in bello & peregrinationibus per orbem terrarum ſuſceptis. eſt *cuſtodire regnum*, atque adeo in regno manere. Sic Evang. Luc. XI. 21. & Herodianus *Lib. 2. cap. 1.* φυλάσσοντες τὴν βασίλειον αὐλὴν, *cuſtodes regiæ aulæ.*

Ad Pag. 18. lin. 19. ἔπασχε τὸ πρῶτον, jam Caſaubonus correxerat.

Ad

Ad pag. 25. l. 26. Alexander in Thebanorum excidio Pindari ædibus pepercit, his verbis inſcriptis: Πινδάρȣ τȣ̃ μȣσοποιȣ̃ τὴν ϛέγην μὴ καίετε. vertit interpres *Muſicum*, Anonymus corrigit: *Muſis amici.* Wolfius *Muſicus* ferri poſſe putat, ſi innuatur facultas poëtica Pindari. Merito tamen Pindarus μȣσοποιὸς *Muſicus* appellari poteſt, excellentiſſimus quippe apud antiquos muſicus, plurimorum præterea hymnorum, canticorum & ὑπορχημάτων auctor, vide ſupra Cap. I. p. 6. Jam a patre, qui tibicen fuerat, puer muſicam edoctus eſt: Πλάτlει κἀκ νηπίȣ αὐτὸν ἵν' ἐμμελὴς ἤδε' καὶ ἔμμȣσος ᾖ, quin eo naſcente ſponte ſua cymbala & tympana reſonuere, Philoſtratus *Icon* Lib. II. n. 14. p. 829. adi & vitæ ejus ſcriptores. Lyricus itidem erat Poëta: ex qua ratione etiam Sappho Herodoto audit μȣσοποιὸς *Lib. II. cap. 135.* ubi vertitur *poëtria.* Fulvius Urſinus, ut in notis Gronovius docet, legerat μελοποιός.

Ad pag. 32. τῶν Ατlικῶν σκολιῶν τε καὶ εὐχὰς ἐπαίνων ȣ̓ βασιλεῦσι πρεπȣ́σας, Anonymus emendat, σκολιῶν τε καὶ παιάνων εὐχὰς, quam *emendationem bene habere* putat Wolfius, & addit: *Certe* σκόλια καὶ παιᾶνες *ſive* παιανικὰ, *ut ſynonyma a veteribus uſurpantur; ita Ariſtotelis Scolium, quod eſt apud Athenæum XV. c. 16. aliis audit Pæan.* Contrarium tamen extra dubitationem poſitum eſt, Scolion a pæane omnino diverſum fuit, quod vel ex Athenæo citato conſtat, negante, Ariſtotelis poëma pæana eſſe ſed ſcolium: ut & e *Valeſio ad Harpocrationem* citato. Nempe *Scolion*, quod ex Athenæo

etiam liquet, mortalibus, pæan diis canebatur. Proclus *in Chreſtomathia* apud Photium p. 983. ubi de diverſitate carminum agit, ὡς aut ᾽εις θεȣ̀ς μὲν ἀναφέρεσθαι ὕμνὸν, προσῴδιον, παῖανα — ᾽εις δὲ ᾽ανθρώπȣς ᾽εγκώμια, ᾽επινίκιοι, σκολιὰ, κ. τ. λ. qui & p. 986. diſtinctius *pæana* deſcribit, ὁ παῖαν ᾽εςὶν ἔιδος ᾠδῆς ἐις πάντας νῦν γραφόμενος θεȣ̀ς, τὸ δὲ παλαιὸν ἰδίως ᾽απενέμετο τῷ Απόλλωνι καὶ τῇ Αρτέμιδι. *Pæan eſt carminis genus, quod nunc ad omnes Deos refertur, olim vero proprie Apollini & Dianæ tribuebatur.* Scolion autem p. 987. μέλος ᾔδετο περὶ τȣ̀ς πότȣς, διὸ καὶ παροίνιον ἀυτὸ ἐσθ' ὅτε καλȣ̃σιν, *eſt cantus inter pocula, unde &* παροίνιον *h. e. vini cantus aliquando appellatum.* Pæana canebant in Deorum laudem in exitu convivii, Athenæus *Lib. IV. cap. 12.* p. 149. a qua conſuetudine ſapientum & Regum nemo alienus erat, vide Xenophontis *Convivium* p. 874. & Athenæum ſæpius. In præliis autem ipſi Duces & Reges pæana exordiebantur. Achilles pæana canere juſſit, Dione noſtro auctore *hac Orat.* p. 30. Cyrus apud Xenophontem pæana canit Lib. VII. *Inſt. Cyri* p. 176. confer & Ezech. Spanhemium ad *Juliani Orat.* p. 133. Igitur Dio docere non potuit, pæana æque atque ſcolion Rege indignum eſſe: igitur vana eſt Anonymi emendatio.

Caſaubonus rectius quidem *in Diatriba* p. 10. emendabat τῶν Ατ]ικῶν σκολιά τε καὶ ᾽ευχὰς ᾽επαινȣ̃ντα, quamvis & ᾽επαινων defendi poſſe moneat. Ego tamen ſanum & integrum locum eſſe exiſtimem. Επαίνων eſt *laudum* aut *laudationum*, e verbis autem Anacreontis verſus apud Dionem an-

tecen-

tecedentibus 'ἀπὸ τῦ κοινῦ repetendum εὔχεσθαι. Nam præceſſerat p. 31. Regem neque eodem, quo alios, modo, Deos precari decere, μηδὲ εὐχὰς εὔχεσθαι τὸν βασιλέα τοῖς ἄλλοις ὁμοίας, neque ut Anacreon fecerat, μηδὲ τὺς θεὺς καλεῖν ὕτως εὐχόμενον κ. λ. nunc interjecto Anacreonte redit ad prius dicta: Η νὴ Δία τῶν Ἀττικῶν σκολιῶν τε καὶ 'ευχὰς 'επαίνων, ſcil. εὔχεσθαι, ὐ βασιλεῦσι πρέπυσας. Attica illa ſcolia carminis & cantus genus erant negligentius factum & decantatum, inter familiares convivas & compotatores, ἀγαθὺς Φράτορας, ut pluribus quoque docet Athenæus Lib. 15. cap. 14. p. 693. & vota continebat mirifica, ut videre eſt apud Athenæum loco ante citato. Ἔπαινος & ἔπαινοι accuratius carminis genus deſignare poſſunt, laudem fortium virorum, aut bene meritorum decantantis, quale 'εγκώμιον & ἐγκώμια ſunt apud Proclum loco modo citato, cujus inventor Iſocrates perhibetur. Ἀττικοὶ autem ἔπαινοι inter *convivas tribules* Φράτορας decantati, humiles nec ſatis digni principum virorum perſonis cenſebantur. Diſtinguunt etiam 'εγκώμια & 'επαίνυς, ut hi ſint virtutum, illa operum, vide Ariſtotelem *de Rhetorica* Lib. I. c. 9. p. 725. Latini 'επαίνυς *laudes* & *laudationes* appellant, quas apud epulas decantatas olim Cicero memorabili & opportuno teſtimonio docet *de claris Oratoribus* ſeu *Bruto* c. 19. *Utinam extarent illa carmina, quæ multis ſæculis ante ſuam ætatem in epulis eſſe cantata, a ſingulis convivis, de clarorum virorum LAUDIBUS, in originibus ſcriptum reliquit Cato.*

In verbis ſequentibus merito Wolfius rejecit intempeſtivam Anonymi emendationem, pro Φράτορσιν ἀγαθοῖς legentis ἀπαλοῖς. ſunt ἀγαθοὶ Φράτορες *boni illi ſodales & fratres.* Φράτορες καὶ συμβιῶται h. e. *convivæ tribules* occurrunt apud Artemidorum *c. 82. p. 267.* item apud Proclum *in Platonis Timæum* p. 28. τὶς τῶν Φρατόρων. Atticos Φράτορας prolixe exhibet Petitus *ad Leges atticas Lib. II. Tit. 4. cap. 8.*

Ad p. 38. B. 7. Regem docet bonum præclare factorum omnes homines teſtes habere, nec magis latere poſſe, quam ſolem in tenebris, ὥςε μήτε πράξαντι οἷόν τε λαθεῖν, ὀ μᾶλλον ἢ τῷ ἡλίῳ πορεύεσθαι διὰ σκότους· πάντα γὰρ τὰ ἄλλα ἀναφαίνων πρῶτον ἑαυτὸν ἐπιδείκνυσι, vertitur: *ut quicquid faciat latere non poſſit, non magis quam ſol ingredi per tenebras: omnia enim cetera illuſtrans primum ſemet ipſum oſtendit.* Quis hic non videat omnia recte ſe habere, & comparationem ſatis accurate inſtitui, præſertim ſi pro μήτε cum Caſaubone legas μηδὲν, aut, quod ego quidem prætulerim, μὴ δὲ, ut p. 30. in hac oratione, quamvis & μήτε retineri queat, vide & p. 40. ut ſenſus ſit: Regem ejusque facta latere non poſſe, ſolis inſtar, qui ſimulatque apparuerit, in omnium oculos incurrat. Anonymus tamen emendandi libidine & pruritu extimulatus pro πράξαντι inſolentius vocabulum παράξαντι, aut παραΐξαντι, & inſolentiorem comparationem ſubſtituit *curſim præterire,* quibus fruſtra colorem afferre Wolfius conatur.

Ad pag. 49. B. Solem, Dio ait, ſi vel minima in re ordinem mutet, aut orbitam transgrediatur, totum mundum perdi-

perditurum, Ει γὰρ κἂν σμικρὸν ἀμελήσειεν, καὶ παραβαίη τῆς αὐτȣ̃ τάξεως. In margine adſcribitur σικελίσειε pro ἀμηλέσειεν, e quibus duabus vocibus Anonymus hanc emendationem procudit, ἀμελήσας ἐκλύσειε, i. e. *ex negligentia remittat*, applaudente Wolfio. At male, ὡς ἔμοιγε κριτῇ, duo verba, quorum unum duntaxat locum habere debet, in textum recipiuntur, præſertim cum unum ἀμελήσειε omnino hic ſufficiat. Ego, quandoquidem παραβαίνειν cum quarto caſu conſtrui ſolet, insererem τι ante τῆς αὐτȣ̃ τάξεως, quod etiam in vulgata ſcriptura ſubaudiri poteſt per ellipſin haud infrequentem, *ſi ordinis quidquam ſui transgrediatur*, aut ἀπὸ τȣ̃ κοινȣ̃ repete σμικρόν.

Ad p. 74. C. 7. de avaro: Περὶ τὴν τȣ̃ ἀργυρίȣ κτῆσιν ἔμφρων καὶ συντεταμένος. Anonymus mavult ἔκφρων, *inſanus;* " Sermo enim eſt de avaro, ſubjicit Wolfius, qui inſano " impetu in corradendam pecuniam feratur, unde & ſtatim " ſequitur συντεταμένος, hunc vero non dixeris ἔμφρονα, niſi " per antiphraſin. Quaſi vero avarus ἔμφρων dici non poſſit, ob perſpicacitatem & fixas intentasque in acquirendis, conſervandis amplificandisque rationibus cogitationes? ἔμφρων hic idem eſt atque ἔννȣς, φροντίζων, *cogitabundus*, quales avari & ſunt & deſcribuntur. Lucianus *Timone* p. 85. ὠχρὸς ἡμῖν ἐφαίνȣ καὶ φροντίδων ἀνάπλεως. vide & alia ſupra allata *cap.* 2. quod etiam adjectum apud Dionem συντεταμένος h. e. *intentus omni cogitatione* ſuadet.

Ad pag. 85. pro ὀυκ ἀφανὴς Anonymus legit ὀυκ ἀφανεῖς, rem claram eſſe, Wolfius judicat; ſed ſic ante Caſaubonus legerat.

Ad pag. 98. C. Τὸ μὲν ἀκάτιον εἰς τραχύν τινα αἰγιαλὸν ὑπὸ τοῖς κρημνοῖς ἐκβαλόντες διέφθειραν. Hic Anonymus neſcit quo τὸ ἐκβαλόντες referat, & exclamat: *Quid? mercesne* &c. *an ſcribendum* ἐκβαλέντες! Wolfius e Suida explicare vult, nautas, dum remos agerent, naufragium feciſſe, aut nautas navim e curſu ſuo recto, acrius ſcilicet impellendo, evertiſſe. Mirifice! quid autem apertius, quam ἀκάτιον ἐκβαλόντες eſſe *navem ad ſcopulos ejectam perdidiſſe?* Polybius ita plane *Lib. XV.* c. 2. p. 963. *Romani ſuos conſpicati*, παραβοηθοῦντες ἐπὶ τὸν αἰγιαλὸν, ΕΞΕΒΑΛΟΝ τὴν ναῦν εἰς τὴν γῆν.

Ad pag. 537. Ea, quæ usque ad hanc paginam intercedunt, prudens nunc quidem omitto, inſtituti habita ratione, vnicum modo locum adjicio ſanitati reſtituendum, p. 537. Ὥσπερ τὸν Ἀγαμέμνονα Ὅμηρος φησὶν Α ΔΕΙ ΠΡΟΣΔΕΙΣΘΑΙ τῇ γνώμῃ τοῦ Νέστορος. Anonymus legit ἀεὶ προσκεῖσθαι, niſi forte προσδεῖσθαι pro *alligari* accipias. Duro omni modo ſenſu. Caſaubonus in *Diatriba* commodius quidem poſt ἃ δεῖ inſerit ποιεῖν, ſed & id ſupervacaneum & tautologiæ proximum videtur. Nempe ἃ δεῖ huc irrepſit e proxime præcedenti, αὐτοὶ παρ' ἐκείνων πρόσαγμα λαμβάνουσιν, ἃ δεῖ πράττειν, quo expuncto optimus ſenſus emergit: *quemadmodum Agamemnonem Homerus* ait *conſilio Neſtoris indigere.* Confer autem ad explicationem hujus loci Dionem *Orat. 56.* p. 566. 567.

Jam

Jam hæc ſcripſeram, cum Virum doctum in *Vol. IX. Miſcell. Obſervat. Crit.* p. 375. idem fere judicium de Anonymi iſtius Angli in Dionem emendationibus à Wolfio editis, tuliſſe viderem, de cujus conſenſu mihi gratulor. Ipſe nonnulla è ſuo penu affert, ut maculas quasdam Dionis eluat & priſtinum ei ſplendorem reſtituat, tam feliciter optaverim, quam candide & cordate! In Dionis autem Oratione 33. *ſeu Tarſica priore* occupatus eſt.

Ad pag. 394. B. ἔπειτα verti vult *itane vero!* additque, *interrogat cum indignatione;* ſed tuetur hic ἔπειτα merito ſuam ſignificationem *deinde, tum vero*, ut liquido apparet.

Ibid. D. 4. αὐτὸ τȣ̃το ἐργόν. opponit hic, verba ſunt Viri docti, τȣ̀ς ἄλλȣς ἄνδρας poetis, qui metris id eſt arte laudant. " Hinc putem legendum αὐτȣ̃γόν τι, comma ponendum " poſt πεποιημένων. Senſus eſt: illa auditis laudare homines " ſive poetas metrice, ſive alios, qui citra artis præcepta ru" de quid & inconditum deproperant." Male ita autem, cum locus evidentiſſimus & verſio ſatis bona ſit: *Hæc auditis* τῶν τε ποιητῶν μέτροις, καὶ ἄλλων ἀνδρῶν, αὐτὸ τȣ̃το ἔργον πεποιημένων ἐγκωμιάζειν, *& ex poetarum carminibus & aliis viris hoc munere fungentibus, ut talia laudibus celebrent.* Ἔργον τȣ̃το ποιεῖσθαι eſt ſuum opus agere, ſuam artem, quam aliquis profitetur, cuique omni ſtudio vacat, Germanice ſein Werck wovon machen. Phraſis ſatis nota. Sic infra p. 409. fine, τῶν αὐτὸ τȣ̃το ἔργον πεποιημένων, in quo Vir doctus itidem hæret. ſic Lucianus *de Saltatione p. 793.* τῶν Ἰδαίων Δακτύλων τȣ̃το ἔργον

πε-

πεποιημένων, τὸ ἐνόπλια παιδεύειν. Commate quoque poſt πεποιημένων apud Dionem nihil opus eſt, merito Vir doctus acquieſcere tandem in recepta lectione videtur.

Ad pag. 397. B. 5. Ἀρχίλοχος δ' ἐπὶ τὴν ἐναντίαν ἥκετο ψέγειν. Vir doctus comma poſtulat poſt ἥκετο, *ne hoc ſugilletur, alias cum atticis dixiſſet* ψέγων, nec hic commate opus eſt, attici etiam infinitivo utuntur. Sic mox: καὶ πρῶτον αὐτὸν ψέγειν.

Ad p. 399. D. 3. Ithacam Dio dicit ὐδὲ τῶν συμμέτρων vitioſe legitur σημμέτρων, νήσων ὐδὲ τῶν ἐγκάρπων fuiſſe: appellat, Vir doctus ait " Dio hic Ithacam inæqualem, ſive quia " mutuis ſcopulorum valliumque hiatibus diſſidebat, ſive " quia non eodem tempore, quo ceteræ regiones fruges, an- " nonamque dabat." Atqui τῶν συμμέτρων νήσων Ithaca ob eam causſam fuiſſe negatur, quia exigua & parva, neque menſuram ſi adhibeas, comparanda cum aliis inſulis erat. evidentia hæc ſunt è contextu; quia aſpera autem fuit & ſterilis, propterea neque erat τῶν ἐγκάρπων: utrumque & veteres & recentiores auctores in Itinerariis teſtantur, ex illis vide Plutarchum *Gryllo* p. 987.

Ibid. p. 409. D. 12. Sic Vir doctus: poſt πεποιημένων *una vel altera linea deeſt*, *dicit: ajunt quendam optimatum* (S. Philoſophorum acutiſſimorum) *noſtrorum in civitatem veniſſe, hominum, qui eadem vobiscum patrabant.* Hinc hiatus. At nullum quidem hiatum video, niſi deeſſe verbum *veniſſe*, Græca τῶν αὐτὸ τῦτο ἔργον πεποιημένον dependent à præced. δεινῶν, ſic omnia optime cohærent: de phraſi modo dictum. CAP.

CAPUT XI.

Cicero emendatur. *Silli*, ſcommata, convicia, maledicta. Cicero vindicatus. *Remittere* & *continere* oppoſita. Cicero defenſus. *Canorum* idem quod *candidum* in voce, *fuſco* oppoſitum, φωνὴ λαμπρά. Cicero explicatus e græca claudendi formula. Cicero *pro Flacco* vindicatus. Judæa Pompeji tempore *elocata*, & legionibus *ſervata* ſeu cuſtodita. Minucius Felix explicatus. *Siſtrum* hirundinis vocem referebat. סיס hirundo. צלצל ſiſtrum. Explicatur Jeſ. XVIII. vers. 1. contra Vitringam & Haſæum. *Deſpicere*, id eſt, de alto contemplari. *Diſpicere* videre.

CICERO de *Naturâ Deorum* Lib. I. cap. 34. *Zeno quidem non eos ſolum, qui tum erant, Apollodorum, SYLLUM, ceteros figebat maledictis; ſed Socratem ipſum.* Habuit hunc locum valde ſuſpectum Petrus Victorius *Var. Lect.* Lib. XXIV. c. 19. quod ejusmodi Syllum nunquam legit; in MSS. quæ inſpexit, legebatur, *Apollodorum ſine ceteros.* Cl. Daviſius Syllum quidem affert, ſed Pythagoræum, qui etiam obſcurior eſt, nec Zenonis tempore vixiſſe, multo minus ejus maledictis fixus videtur. Ampliſſimus Bouhier *notis* in h. l. Gallicis legendum conjicit *Apollodorum Cittieum*, quod non modo longius abit a ſcriptura, verum etiam in medicum illum non quadrat, cum Zeno philoſophos conviciis concidiſſe dicatur. Ego legendum putem *SILLIS*, h. m. *Apollodorum ſillis, ceteros figebat maledictis.* Eſt *ſillus* autem jocus mordens. Proclus apud Photium p. 987. Ὁ δὲ σίλλος πεφασμένως λοιδορίας καὶ διασυρμὸς ἀνθρώπων ἔχει. Ælianus autem Lib. III. *Var. Hiſt.* cap. 40. Τὸν δὲ σιλλὸν

ψόγον λέγουσι μετὰ παιδίας δυσαρέςου. Heſychius exponit σιλλαίνειν, σιλλοῦν τὸ διασύρειν καὶ μωκᾶσθαι, & σιλλὸν, μῶμος κακολογία, χλευασμός· unde Luciani Scholiaſten corrigendum putem σιλλὸν p. 7. ita exponentem, ὁ μῖμος καὶ ὁ μῶμος καὶ ἡ ἀκολασία καὶ ὁ χλευασμὸς. Καὶ ὁ ταῦτα γραφῶν συλλογραφεῖ. Pro ἀκολασία legerim κακολογία. Propius Suidas σιλλοὺς interpretatur ψόγους τῶν φιλοσόφων, voce Τίμων φλιάσιος, qui erat *Sillographus*, atque ſillos in Platonem ſcripſit, vide Gellium *Lib. III. cap. 17.* item in Pythagoram, Diogenes Laërtius, Τίμων ἐν σίλλοις δάκνων αὐτὸν Lib. 8. Segm. 36. Ammianus Marcellinus Lib. XXII. c. 16. Didymus, *qui Tullium reprehendit, ſillographos imitatus ſcriptores maledicos.* adi & Cl. Hemſterhuſium *ad Pollucem Lib. IX. Segm. 148.*

Idem vocabulum Ciceroni reſtituendum exiſtimem Lib. 16. ad Atticum epiſt. 11. *itaque perſtringam ſine ulla contumelia Sicæ aut Septimiæ: tantum ut ſciant* παῖδες παίδων *SINE VALLO LUCILIANO, eum ex C. Fadii filia liberos habuiſſe.* Sudant in hoc loco exponendo Interpretes. Libri antiqui omnes teſte Popma & Grævio habent *ſine ullo*, quod natales ſuos debet præcedenti *ſine ulla contumelia.* Grævius, qui recte hic agi vidit de acerbitate Lucilii, mavult *ſale*, ab eo autem Cicero quidem non abſtinuisſet, nec abſtinuit. Lego igitur *ſine ſillo Luciliano*, σιλλαίνειν eſt *perſtingere cum contumelia*, qua re inſignis olim fuit Lucilius, Cicerone teſte Lib. 12. ad famil. epiſt. 16. hic autem ſine ulla contumelia, atque adeo ſine *ſillo* perſtringere ſe velle dicit Antonium.

CICERO

CICERO Lib. II. de *Nat. Deorum* c. 13. *Homini hoc amplius quod addidit rationem, qua regerentur appetitus, qui tum REMITTERENTUR, tum CONTINERENTUR.* Lambinus olim legendum exiſtimaverat, *tum remitterentur, tum contenderentur;* deinde autem: *qui tum emitterentur, ſeu admitterentur.* Priorem Lambini conjecturam præfert Daviſius, ita tamen ut ipſe malit, *tum remitterentur, tum intenderentur*, eamque oppoſitionem e Seneca docet. Ego doctiſſimos Viros de emendando hic ſollicitos eſſe nollem, cum vulgata lectio ſatis Ciceroniana, nec neceſſe ſit, ut eadem ſemper verba apud copioſiſſimum & luxuriantem oratorem ſibi opponantur. Frequentiſſime Cicero *remittere* dicit pro relaxare, quod & addidit *Philipp.* VIII. c. 9. *Continere* autem ſæpius apud eundem eſt *reprimere, coërcere:* quo ſenſu, loco de *Nat. Deor.* citato, ſtatim ſequitur: *Univerſam autem naturam nulla res poteſt impedire, propterea quod omnes naturas ipſa COHIBET & CONTINET.* Et cap. 22. *Mundus, qui omnia complexu ſuo COERCET & CONTINET.* Idem *in Catil. I. cap. 8. Quorum ego vix abs te jam diu manus & tela CONTINEO.* Satis ergo accurata eſt oppoſitio inter *remittere* & *continere:* quam ob rem Cicero etiam oppoſita habet *iracundiam continere Lib. XI. Epiſt. 3. p. 158.* & *iracundiam remittere*, quomodo *Philippica* VIII. c. 6. dixit, *quotidie aliquid iracundiæ remittebat.*

CICERO Lib. II. de *Nat. Deorum* c. 58. ad aurium judicium refert *canorum, fuſcum: læve, aſperum.* Negat Daviſius,

O 2 *cano-*

canorum fuſco commode opponi, *lego*, inquit, *candidum*, *fuſcum*, *& tum demum utraque vox, ut par eſt, a coloribus erit ad ſonos translata.* Haud privanda eſt ingenii laude hæc conjectura, quamvis aſſenſionem non impetret: non hic enim ad ſolos colores, ſed ad vocem reſpiciendum eſt. Cicero *vocis canoræ* ſæpius meminit, *candidæ* non item. Quin *canorum* etiam merito *fuſco* opponitur. Fuſca enim vox eſt *exigua*, Suetonio interprete, qui de Nerone cap. 20. *quanquam exiguæ vocis & fuſcæ*, uti Dio p. 699. eidem tribuit φώνημα βραχὺ καὶ μέλαν, cum *canora* ſit magna. Canora denique vox eſt *candida*, nulla proinde emendatione opus. Λευκὸν in voce, h. e. candidum, eſt εὐήκοον, Ariſtotele auctore in *Topicis*, vide Caſaubonum ad *Suetonium*, & Interpretes ad Quintiliani *Inſt. Orat. Lib. XI. cap. 3.* Ita Græcis φωνὴ λαμπρὰ *candida*, eſt canora. Lucianus Baccho p. 364. φωνή τε λαμπρὰ καὶ φθέγμα τορὸν καὶ πνεῦμα λιγυρόν. Ad illum candorem vocis canoræ alludere videtur Cicero *de Seneɛt.* c. 9. *omnino CANORUM illud in voce SPLENDESCIT*, (utpote candidum) *etiam neſcio quo pacto in ſenectute.*

CICERO Lib. III. *de Nat. Deorum cap. 23.* claudit intricatam de Diis narrationem his verbis: *ATQUE HAEC QUIDEM EJUSMODI.* Nonnulli Codices habent: *Atque hæc quidem atque ejusmodi.* Cl. Daviſio, qui aliquid hiulci præ ſe ferre vulgatam lectionem putat, potius placet: *Atque hæc quidem & quæ ejusmodi.* At ego vulgatam prætulerim. Eſt enim Græca claudendi atque ad alia digrediendi formula,

καὶ

καὶ ταῦτα δὴ ταῦτα, aut, *τοιαῦτα δὴ ταῦτα*, Ariſtophanes *Pluto* v. 8. ubi vide Spanhemium. Ariſtides Tom. II. p. 326. *ἀλλὰ ταῦτα μὲν τοιαῦτα*, quam etiam Lambertus Bos illuſtravit. Unde quoque apparet, recte Gruterum MSSta Palatina eſſe ſecutum, & illud *atque* repetitum, in *atque hæc quidem atque ejusmodi*, deleviſſe, quam lectionem Codices alii præferebant.

CICERO Orat. pro Flacco cap. 28. *Judæorum gens, quam cara Diis immortalibus eſſet, docuit, quod eſt victa, QUOD ELOCATA, QUOD SERVATA.* In poſterioribus verbis laborant Interpretes, quomodo Judæa tum temporis *elocata* dici queat, quæ in provinciæ formam nondum erat redacta, id quod decimo demum poſt Herodem anno contigit. Hinc *elocata*, aut oratorie, nec vere dictum, aut *pacata* legendum, Grævius ſtatuit. Pro *ſervata* nonnulli legunt *enervata*. Nec Manutio, ſi *ſervata* legatur, conſtat, quæ ſententia elici posſit ſatis apta. Grævius Romanorum miſeratione & bonitate *ſervatam* exponit, cum potuiſſet deleri, aut in ſervitutem redigi. Ego vero Ciceronem vere *elocatam* & *ſervatam* Hieroſolymam & gentem Judaicam Pompeji temporibus dixisſe arbitror. Nam Pompejus expugnatam Hieroſolymam vectigalem fecit, *τὰ μὲν Ἱεροσόλυμα ὑποτελῆ φόρου Ῥωμαίοις ἐποίησεν*, teſte Joſepho *Lib. XIV. Antiquit. Cap. 4.* p. 690. ubi addit, plus quam decem millia talentorum brevi tempore Romanos a Judæis exegiſſe. Idem *de Bello Lib. I. c.* 7. p. 69. *Τῇ τε χώρᾳ καὶ τοῖς Ἱεροσολύμοις ἐπιτάττει φόρον.* Cum igitur ve-

veſtigalis & tributaria tunc Judæa facta ſit, merito a Cicerone *elocata* dicitur, quod à Cenſoribus fiebat, cum provinciæ tributa conducebant publicani, recte interpretante Grævio ad *l. c.* tali ſenſu Cicero dixit *in Verrem Lib. 3. cap. 22. elocatum fundum*, ut ibidem Sylvius docet.

Servata, non eſſe putem miſeratione & bonitate Romanorum conſervata, acerbe enim l. c. Cicero Judæis inſultat, non vero eorum conſervationem bonitatemque Romanorum prædicat. *Servata*, eſt in ſuos terminos redacta, multis & firmis præſidiis circumcluſa & obſeſſa, ut ſe commovere contra Romanos non poſſit, legionibus *ſervata*. Luculenter id docet Joſephus loco ante ex *Antiquitatibus* citato: *Pompejus* τὸ σύμπαν ἔθνος — ἐντὸς τῶν ἰδίων ὅρων συνέϛειλεν. Idem *de Bello* l. c. p. 69. *Judæam, & cuncta ad Ægyptum usque & Euphratem Scauro, qui eas regeret, tradidit, cum duabus legionibus*, Παραδȣ̀ς τὴν Ἰȣδαίαν, καὶ τὰ μέχρις Αἰγύπτȣ καὶ Εὐφράτȣ Σκαύρῳ διέπειν, καὶ δύο τῶν ταγμάτων. Igitur vere Cicero dixit, *ſervatam eſſe*. *Servari* dicitur, quod diligentiſſime, ſigillis, clauſtris, præſidiis appoſitis cuſtoditur. Cicero Lib. IX. *Epiſt. ad Attic.* Epiſt. 10. *Evolvi volumen epiſtolarum tuarum, quod ego ſub ſigno habeo, SERVOQUE diligentiſſime.* Ovidius *Heroid. Epiſt. 20.* v. 85.

Sed neque compedibus, nec me compeſce catenis:
SERVABOR firmo VINCTUS amore tui:

Petronius Cap. CXI. *Miles qui cruces SERVABAT, ne quis ad ſepulturam corpora detraheret.* Ammianus autem Marcellinus

nus Judæam & vicinas regiones a Pompejo in formam provinciæ redactam prodidit rectori traditam, i. e. Scauro, Lib. XIV. c. 8. p. 39. *Verum has quoque regiones pari ſorte Pompejus, Judæis domitis & Hieroſolymis captis, in provinciæ ſpeciem rectori delata Juriſdictione formavit.* ubi pluribus idem confirmatum it Valeſius. Quæ tamen provinciæ forma diverſa erat ab ea, in quam, Archelao in exilium pulſo, Judæa redigebatur. Illa ſpeciem quandam libertatis adhuc præferebat ſub Hyrcano Pontifice, & Herode præſertim Rege: hæc autem rigida erat & conſtans provinciæ forma.

Verba *MINUCII FELICIS in Octavio* p. 163. *Deſpice Iſidis ad hirundinem ſiſtrum*, plurimum negotii Interpretibus faceſſivere. Wowerus legit *diſpice*, Rigaltius *de ſpicis*, qui etiam præcedens verbum *facit* repetendum vult. Ampliſſimus quondam Cuperus in Epiſtolis nuperrime editis p. 69. *crucem Interpretum* hunc Minucii locum vocat, & auxiliatrices eruditiſſimi eheu! olim noſtri La Croze copias requirit; ejus tamen conjecturam p. 82. legentis, *Reſpice Iſidis adytorum ſiſtrum,* merito repudiat, quoniam ſiſtrum non in adytis modo, ſed publice adhibitum fuerit, in pompis puta &c. Daviſius in ſua editione legit: *Ridet ſpicas Iſidis ac hirundinem, ſiſtrum;* quod idem Cuperus recte improbat p. 376. ipſe autem legendum credit: *Et diſpice Iſidis ad hirundinem ſiſtrum,* i. e. examina, conſidera.

Mihi locus, ut vulgo editus eſt, *Deſpice Iſidis ad hirundinem ſiſtrum*, aut ſanus videtur, aut leviſſima mutatione reſtituen-

ſtituendus, pro *hirundinem* ſubſtituendo *hirundininum*, ſenſu eodem redeunte. Illud ſi malimus, *Iſidis ad hirundinem ſiſtrum* erit ſiſtrum *hirundinis vocem* ψιθυρισμὸν *referens*, proinde *ad* ſimilitudinem ſignificabit, ut Græce κατὰ, h. m. Ισιδος κατὰ χελιδόνα σεῖϛρον, vide exempla ſupra allata Cap. 6. p. 47. Nec inſolens Latinis eſt ea notione præpoſitio *ad*, licet diſtinctius addere ſoleant *ad ſimilitudinem*, ad *effigiem*, ad *normam* &c. In hanc expoſitionem inclinat tandem poſt Rigaltium Cuperus p. 376. quamvis nihil ad ejus confirmationem attulerit. Hoc ſi prætulerimus, aliud erit vocabulum, res eadem: *hirundininum ſiſtrum*, quod vocem argutam aut ſuſurrum & garritum hirundinis imitatur. Conſimili modo *Tibiæ milvinæ* dicebantur, acutiſſimum milviorum clangorem referentes, vide Feſtum; & *gingrinæ*, anſerum vocem imitatæ, vide Salmaſium *ad Solinum* p. 87. Accedit, quod ſiſtro idem ſonus & eadem vox *argutus* & *arguta* tribuatur, quæ hirundini. Apulejus Lib. XI. *Metamorph.* ubi ſiſtrum deſcribit: *Æreum crepitaculum, cujus per anguſtam laminam in modum balthei recurvatam, trajectæ mediæ paucæ virgulæ, criſpante brachio tergeminos jactus, reddebant ARGUTUM SONOREM.* Idem vero *Floridis* 13. *Animalia quædam vario modo occinunt & occipiunt carmine, hirundines PERARGUTO.* Siſtra *garrula* appellat Martialis *Lib. 14. Epigr. 54.*

Si quis plorator collo tibi vernula pendet,
Hæc quatiat tenera GARRULA SISTRA manu.

hirundinem pariter Seneca, *Agamemnone Act. 3. v. 675.*

Furta mariti GARRULA deflet.

Quin

Quin etiam Iſis ipſa in hirundinem converſa dicitur, occiſi mariti vicem lamentata, apud Plutarchum *de Iſide & Oſiride p. 357.* αὐτὴν δὲ γενομένην χελιδόνα — θρηνεῖν. Imo, quod huc inprimis pertinere videtur, hirundo Hebraice appellatur סיס, nomine e ſono vocis hirundininæ formato, qui eſt *Siſi*, unde Italis hirundo *Ziſilla*, & *Ziſillare* hirundinis more τιτυβίζειν vel ψιθυρίζειν, opportune obſervante incomparabili Bocharto *Parte II. Hieroz. Lib. I. cap. 10.* cui & nomen Deæ *Iſis* palam ad סיס *hirundinem* alludere videtur, in quam & converſa diceretur apud Plutarchum *loco ante cit.* Idem Bochartus l. c. multa affert de querula & flebili hirundinis voce. Itaque *ſiſtrum ab hirundine* סיס nomen accepiſſe videtur, & ſic merito quidem diceretur *hirundininum ſiſtrum.* Inepti enim Græculi ſunt, *ſiſtrum* a σείω derivantes, q. d. σεῖστρον, qua ratione *crepitacula* omnia cymbala & tympana & campanæ *ſiſtra* dici poſſent: factum id eſt pro inſigni eorum, peregrinorum vocabulorum origines in ſua lingua quærendi, inſcitia & vanitate.

Affine eſt Hebraicum *ſiſtri* nomen צלצל & צלצלים, a צלל *tinniit*, *ſonavit*, vide Bocharti *Phaleg. Lib. IV. Cap. 2. p. 212.* quem & ſequitur Clericus *Commentario ad 2 Sam. VI.* qui à צלל tamen *concuſſit*, nulla ratione derivat, & Bochartum, cujus vero plumis frequentius ſe ornat, confudiſſe ſiſtra cum cymbalis dicit, quæ ille autem aperte diſtinxit. Ovidius etiam *ſiſtra tinnula* dixit *Lib. I. ex Ponto Ep. I. v. 38. 45.* Pariter

Pſalmus CL. 5. צלצלי-שמע ſunt *ſiſtra ſonora*, aut *ſonabilia*, ut Ovidius *Lib. IX. Metamorph. v. 783.*

Crepuitque SONABILE SISTRUM.

צלצל autem כנפים Jeſ. XVIII. 1. eſt *Siſtrum orarum*, aut *in ora utraque* ſonorum, quam trajectæ per laminam virgulæ, aut bacilli æneï hinc inde pulſabant, & ſiſtrum ſonorum reddebant; niſi mavis *Siſtrum Canopi*, quam *ſtrepere* propterea Silius Italicus dicit Lib. XI. v. 431. Merito autem a Siſtro Ægyptus appellari ארץ צלצל כנפים, & notiſſimo ſiſtri charactere diſtingui potuit, quæ *Ægyptia ſiſtra* Ovidio *Lib. III. Amor. Eleg. 9. v. 34. Siſtra Phariaca* Apulejo audiunt *Lib. II. Metamorph. p. 64. Canopi* Silio, *Siſtrata turba* Martiali *Lib. XII. Epigr. 29.* id eſt Ægyptia: *Æriſoni flumina Nili*, Statio *Lib. I. Theb. v. 266.* ubi Lutatius Scholiaſtes: Æriſoni *æris ſonum dantis propter ſiſtrum.* Igitur Ægyptus, recte appellari potuit *Terra Siſtri.* Sic difficultates evaneſcunt contra hanc expoſitionem a Celeb. Vitringa *in Commentario ad Jeſaiam* motæ, cujus ſententia longius petita & vaga eſt, quemadmodum Jac. Haſæi צלצל כנפים de *navibus velivolis* exponentis in *Bibliotheca Brem. Claſſe VI.* fundamento caret, nec enim צלצל *navem* ſignificat, quod prolixius alias doceri poterit.

Ut ad Minucium revertar, *deſpice* retinendum puto, ut ſit *aſpice obiter, aut cum contemtu.* Eſt enim deſpicere *de alto aſpicere*, Macrobius *Lib. I. Saturnal. cap. 6. Eveniſſe, ut Circenſium die puer de coenaculo pompam ſuperne DESPICERET.* Cicero *pro Roſcio Amerino* Cap. VIII. *cum præſertim tam multi occupationem*

tionem ejus obſervent, tempuſque aucupentur, ut, ſimul atque ille DESPEXERIT, aliquid hujuſcemodi moliantur, i. e. aljo forte aciem oculorum & animi converterit, ſummo loco conſtitutus minora & tanto faſtigio inferiora aſpectu dignatus fuerit, ubi plura Grævius. Ut autem hic *deſpice*, ſic mox *conſidera* Minucius dixit. Poſſet & *diſpicere* hic locum tueri, quandoquidem *videre*, *conſiderare* ſignificat. Cicero *Lib. 6. ad Atticum epiſt. 8. Nunc velim DISPICIAS res Romanas: VIDEAS, quid nobis de triumpho cogitandum putes, ad quem amici me vocant.* Prius tamen prætulerim.

CAPUT XII.

Plato explicatur & vindicatur. Ἀναιρεῖσθαι ἐκ θαλάττης, *tollere è mari periclitantes.* Lyſias expoſitus, νεκροὺς ἀναιρεῖσθαι. infantes recens natos ἀναιρεῖσθαι. perduelles & proditores ſepultura in Attica prohibiti. Publica ſepultura in pompa, eorum quoque, quorum corpora non inventa. Hegeſippus apud Euſebium explicatur. Θύρα Ἰησοῦ. Rabbinorum שער. Lat. *Janua.* Deut. 26, 5. exponitur. אבד non *erro*, ſed *periens* & *periturus fame.* Primitiæ frugum à gratis hominibus oblatæ. Ælianus duobus locis vindicatus. notis nuperrimæ editionis immiſtus. Ἴσως *ſine dubio*, *omnino.* Lyſias vindicatus. Plutarchus reſtitutus & Diodorus.

CLar. P. Weſſeling doctiſſimas ſuas *Obſervationes* auſpicatur in Platone illuſtrando & emendando. Platonis verba ſunt *Menexeno* in oratione funebri, quam Aſpaſiæ Socrates tribuit: Λυσάμενοι δὲ τοὺς φίλους ἀναξίου τύχης τυχόντες, ΟΥΚ ΑΝΑΙΡΕΘΕΝΤΕΣ ΕΚ

ΤΗΣ ΘΑΛΑΤΤΗΣ κεῖνται ἐνθάδε, vertit Serranus: *Liberatisque amicis indignam fortunam conſecuti, non quidem a mari abſorpti, jacent.* Ad hæc V. C. *Male, ſi quid video: nam ἀναιρεῖσθαι ἐκ θαλάττης eſt tollere e mari ad ſepulturam corpora, non ab eo abſorberi.* Male omnino Serranus verterat, ut Ficinus quoque p. 406. *non autem a mari interfecti;* attamen nec Cl. Weſſeling verum ſenſum aſſecutus videtur: ſiquidem ἀναιρεῖσθαι ἐκ θαλλάττης non ſignificat *tollere e mari ad ſepulturam corpora*, ſed ſimpliciter *tollere*, hic autem naufragos *in mari periclitantes*, atque adeo adhuc viventes e fluctibus eripere, ne pereant.

Eſt id a Xenophonte tam evidenter proditum, ut mirer, doctiſſimum Virum a tanta hiſtoriæ luce & veritate aberrare potuiſſe. Scilicet caput accuſationis erat, quo duces re præclare geſta redeuntes, at amiſſis fortibus viris, qui in mari perierant, urgebantur, Διότι οὐκ ἀνείλοντο τοὺς ναυαγοὺς, *quod naufragos non ſuſtuliſſent Hiſt. Græc. Lib. I.* pag. 448. miſſis nimirum, qui ſubmerſas in prælio naves & homines in mare delapſos exciperent, ἐπὶ τὰς καταδεδυκύιας ναῦς, καὶ τοὺς ἐπ' αὐτῶν ἀνθρώπους, qui proinde tum adhuc vivebant, iisque, qui forte evaſuri eſſent, σωθέντες ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου, mandabant, populo rem indigniſſimam exponerent, ὅτι οἱ στρατηγοὶ οὐκ ἀνείλοντο τοὺς ἀρίστους ὑπὲρ τῆς πατρίδος γενομένους p. 449. *duces non ſuſtuliſſe viros, qui fortiſſimi pro patria fuiſſent.* quibus igitur fluctibus permiſſis miſerabili morte in mari pereundum fuiſſet. Idem patet ex Euryptolemi oratione p. 451. maxime autem

e The-

e Theramenis reſponſione adverſus Critiam *Lib. II.* p. 446. *Crimini dabant*, ὀυκ ἀνελέσθαι τȢς δυστυχȢντας ἐν τῇ περὶ Λέσβον ναυμαχίᾳ, *ego vero reſpondi:* Ὡς διὰ τὸν χειμῶνα Ȣδὲ πλεῖν, μὴ ὅτι ἀναιρεῖσθαι τȢς ἄνδρας δυνατὸν ἦν, *ob tempeſtatem ne navigare quidem, nedum viros tolli licuiſſe:* addit denique, duces ſemet ipſos accuſaſſe, dicendo, *ſervari homines potuiſſe, quos tamen perire ſiviſſent*, Οιόντε εἶναι σῶσαι τȢς ἄνδρας, προέμενοι ἀυτȢς ἀπολέσθαι, ᾽αποπλέοντες ᾤχοντο. Quid núnc quæſo evidentius apparet, quam quæſtionem eſſe de negata fluctuantibus in mari ope, viventibus adhuc & ſpirantibus, non vero de extrahendis ad ſepulturam jam defunctorum corporibus? Nec alius ſenſus eſt Lyſiæ à Cl. Weslingio citati, ὅτι διὰ χειμῶνα Ȣχ᾽ ὁιοί τ᾽ ἔφασαν εἶναι τȢς ᾽εκ τῆς θαλάτ]ης ἀνελέσθαι, *ob tempeſtatem ſe non potuiſſe, dicebant, è mari eos tollere.*

Inductus autem Vir Cl. in eam expoſitionem hac ratione videtur, quod alias, ubi *de mortuis* ſermo eſt, ἀναιρεῖσθαι ſignificare queat *ad ſepulturam tollere.* Veruntamen tunc quoque eſt *tollere*, atque e re ipſa colligendum, an ad ſepulturam pertineat; hinc & expreſſius dici ſolet νεκρȢς ᾽αναιρεῖσθαι, ut apud Thucydidem, & Strabonem. *Lib. 8. p. 590.* Aliter autem exponi debet, ubi ſimpliciter tantum, ut hic, occurrit, atque de viventibus agitur, tunc ἀναιρεῖσθαι, aut ἀναιρεῖσθαι τȢς ἐκ τῆς θαλάτ]ης, *eſt tollere eos & ſervare, qui inter fluctus agitati adhuc vivunt.* Tali modo Græci quoque dicunt ᾽αναιρεῖσθαι βρέφος, *infantem tollere*, i. e. *ſervare in vita* nutrire, & educare, vid. Dio Caſſius *Lib. 61. p. 697.* Diodo-

rus *Siculus Lib. 3. p. 191.* apud Sponium *Miſcellan.* p. 370. in inſcriptione, infans

ΕΚ ΓΑΙΗϹ ΜΕ ΠΑΤΗΡ ΕΜΟϹ ΕΙΛΑΤΟ ΧΕΡϹΙ ΓΕΓΗΘΩϹ.

de terra me pater meus ſuſtulit manibus lætabundus· mos autem ille liberos è terra tollendi, vel è Terentio notus eſt.

Valerius etiam Maximus fraudi Viro Cl. fuiſſe videtur. Ita ille in eadem hiſtoria *Lib. IX. cap. 8.* exeunte: *Jam Athenienſium civitas ad veſaniam usque temeraria, quæ decem univerſos imperatores ſuos, & quidem a pulcherrima victoria venientes, capitali judicio exceptos necavit, QVOD MILITUM CORPORA ſævitia maris interpellante, SEPULTURÆ MANDARE NON potuiſſent.* Facili tamen negotio apparet, Valerium Maximum nec Platonem nec Xenophontem vertere, ſed Diodorum potius exprimere, qui Ducibus crimini datum refert, ἀτάφους, reliquiſſe τοὺς ὑπὲρ τῆς πατρίδος προθύμως τετελευτηκότας *Lib. XIII. p. 221.* Loquuntur ſcilicet Diodorus & Valerius Maximus de negata ſepultura, quod illa neglectam naufragorum receptionem conſecuta eſt, & conſequi ſolet, quemadmodum ἀναίρεσις τοῦ νεκροῦ ſepulturam antecedere & indicare ſolet. Diodorus *Lib. IV. p. 268. Thebani* τὴν ἀναίρεσιν τῶν νεκρῶν οὐ συνεχώρησαν, ὁ δὲ Ἄδραστος ἀπολιπὼν ἀτάφους τοὺς τετελευτηκότας, *quare Adraſtus inſepultos reliquit.*

Minus accurate Vir idem Cl. *REVERA decem hoc bello prætores fuiſſe* dicit p. 2. cum octo duntaxat, aut ad ſummum novem fuerint, & Valerius Maximus aliique rotundo nume-

ro utantur, quando decem numerant, more auctoribus ſacris & profanis ſolemni, ut jam obſervavit Perizonius *ad Aeliani Lib. III. cap. 17.* & Olearius ad Philoſtratum, loco ſtatim citando.

In eo quoque error eſt, quod Philoſtratum exponit, *decem Duces ob non ſublatos e mari cives ad ſepulturam damnatos eſſe.* Philoſtratus *de vitis Sophiſtarum* p. 584. Ariſtidem oratione illa Callixeno crimini dediſſe dicit, ἐπὶ τῷ μὴ θάπτειν τὰς δέκα, hoc non eſt, ut Cl. Vir putat, quod *decem illi non ſuſtulerint e mari cives ad ſepulturam*, ſed, quod *nollet ſepulturam concedere decem illis ducibus.* Id enim Callixenus volebat, ut Duces illi, tanquam civium in mari ſubmerſorum proditores, capitali judicio necati, ſepultura carerent, ea lege, quæ proditores ſepeliri in Attica vetabat, ὐ γὰρ ἐξῆν θάπτειν ὡς ἐπὶ προδοσίας φεύγοντος, Thucydides *Lib. I. cap. 138.* p. 90. Negatæ autem ſepulturæ duntaxat meminit Ariſtides, damnationem conſequentis, uti *negatæ* duntaxat *ſepulturæ* ante meminerant Diodorus Siculus & Valerius Maximus. Quod Olearius autem l. c. ſcribit: *Nulla ejus rei mentio eſt apud auctores, quod necatos duces ſepeliri vetuerit Callixenus, quod ipſum adeo aliunde Ariſtidem hauſiſſe neceſſe eſt*, refellit tum Xenophon citatus, tum Lex Attica ſatis nota, quæ proditionis damnatos ſepultura prohibebat, vide præter Nepotem *in Themiſtocle*, Thucydidem l. c. Petiti *Leges Atticas* p. 672. editionis Cl. Weſſelingi, qui obſervat, non convenire inter Viros doctos, in quem locum proditionis damnati dela-

ti

ti fuerint. Xenophon autem in hac hiſtoria diſerte dicit, vi legis atticæ *in barathrum fuiſſe conjectos* p. 450. hoc erat ἀτάφȣς ῥιπ̃ὶεσθαι.

Male denique V. C. Platoni ante citato medicinam afferre, & ante verba κεῖνται ἐνθάδε inſerere vult negandi voculam, *hic ſiti NON ſunt*, hanc cauſſam interferens, *quod ſi e mari corpora cæſorum ad ſepulturam extracta non ſint, qui potuere Athenis eſſe ſita?* quaſi vero mare non ejiciat ſubmerſorum corpora, neque tunc conquiri ad littus delata & ad ſepulturam tolli potuerint? nec conquiſita ſtudioſiſſime fuerint ab Athenienſibus vicem civium fortiſſimorum indigniſſime ferentibus? ſepulturæ autem adeo ſtudioſis, ut bellum olim Thebanis intulerint, qui cæſis Argivis ſepulturam negaſſent, eosque publice ſepeliverint, Diodoro Siculo teſte *Lib. IV.* p. 268. vide & Lyſiæ *Orat. Funebr.* p. 13. Ex hac quoque ratione recte in oratione illa funebri apud Platonem l. c. dici potuit, κεῖνται ἐνθάδε, quod & illi, qui inveniri ad ſepulturam non potuerant, tamen monumento Athenienſium publico condita cenſerentur: nam & ciſta aut lectus eorum inanis publica pompa inferebatur, quorum corpora inventa non fuiſſent, Thucydide auctore *Lib. II. cap. 4. pag. 117.* Μία δὲ κλίνη κενὴ φέρεται ἐςρωμένη τῶν ἀφανῶν, ὅι ἂν μὴ ἐυρεθῶσιν ἐς ἀναίρεσιν. *unus autem lectus ſtratus fertur vacuus eorum, qui non extant, & quorum cadavera reperiri & tolli non potuerunt.* Itaque, cum eorum etiam corpora, qui poſt prælium inveniri non poterant, tamen publico monumento illata

cenſe-

cenſerentur, atque in univerſorum defunctorum laudem orationes illæ publice ibidem haberentur, merito Orator dicere poterat, κεῖνται ἐνθάδε, quod toties in illa oratione repetitur.

Idem Vir Clariſſimus *Lib. I. cap. 21.* celebrem Hegeſippi locum apud Euſebium *Hiſt. Eccleſ. Lib. II. cap. 23.* tractat, qui a Judæorum nonnullis Jacobum fratrem Domini interrogatum, ΤΙΣ Η ΘΥΡΑ ΤΟΥ ΙΗΣΟΥ; reſpondiſſe refert, τοῦτον εἶναι τὸν σωτῆρα, rejectisque Pearſonii, Valeſii, & Grabii ſententiis, alterutrum cenſet, *aut Hegeſippum male cepiſſe Judæorum uerba*, aut θύραν h. l. *idem eſſe atque enarrationem, explicationem*, & poſterius præfert. Sed revera non video, quomodo hic ſenſus interrogationi & reſponſioni recte accommodari poſſit. Qualis enim quæſo interrogatio, *quænam eſt enarratio aut explicatio Jeſu?* aut, ut Græce eandem exprimit Πῶς ἀνοίγεις τὰ τοῦ Ἰησοῦ; quomodo etiam reſponſio quadrat, *hunc eſſe Servatorem?* Id etiam incommodi habet, quod τοῦ Ἰησοῦ exponat per τὰ τοῦ Ἰησοῦ, quod nemo facile in illa interrogatione ſuſpicaretur. Nec quidquam huc facere videtur Pſ. CXIX. 130. ibi enim פֵּתַח־דְּבָרֶיךָ eſt *apertio, revelatio verborum*, δήλωσις ut Græci verterunt, divino Spritu facta *&c.*

Cum Judæorum verba ſint τίς ἡ θύρα τοῦ Ἰησοῦ; ex eorum idiotiſmo exponenda eſſe liquet. Jlli שער θύραν, *portam, januam*, vocant doctrinam, qua tanquam janua aliquis in rei veram & penitiorem cognitionem admittitur & introducitur, *præliminaris* ut ita dicam *doctrina*, quæ aditum aperiat ad rem ipſam & aditum patefaciat: quo nomine ſatis

noti ſunt plures Judæorum libri, v. c. שער האגדה *janua, porta allegoriarum*, cujus beneficio in notitiam allegoriarum pervenitur: ejusmodi liber eſt שער הסודים *porta myſteriorum*, item שער הנגינות *Janua accentuum* ab Abichtio editus, & celebris ille Maimonidis Liber שער משה *porta Moſis*, a Pocockio editus & illuſtratus. Itaque ſenſus quæſtionis Judaicæ ab Hegeſippo relatæ eſſe videtur: *quænam eſt doctrina*, qua ad Jeſum introitur, aut quisnam primus & princeps articulus Jeſu? cujus ope in cognitionem Jeſu perveniri queat. *Janua eſt aditus primus in domo, oſtium in quemlibet locum domus*, auctore Iſidoro apud Barthium *Lib. XL. Adverſ. cap. 10.* Et tunc quidem accommodatiſſima eſt reſponſio, τȣ̃τον εἶναι σωτῆρα, qui revera eſt princeps & fundamentalis doctrinæ Chriſtianæ articulus, שער היסוד *porta fundamenti*, quo etiam nomine liber aliquis Judaicus extat. Ὁ λίθος ὁ γενόμενος εἰς κεφαλὴν γωνίας. καὶ ȣ̓κ ἐςὶν ἐν ἄλλῳ ȣ̓δενὶ σωτηρία &c. Act. IV, 11. 12. conf. Matth. XVI, 18.

In eundem fere ſenſum, etſi nullis teſtimoniis inſtructus, Judaicam quæſtionem interpretatus fuerat ad Euſebium ſagaciſſimus Valeſius, *Oſtium*, inquit, *hoc loco eſt introductio* ſeu *inſtitutio atque initiatio.* cui male, poſt Grabium *Spicilegio Patrum Seculi II. Tom. I.* p. 254. opponit V. C. Judæos ſcire noluiſſe, *quomodo quis ſacris Chriſti initiaretur, verum, quæ Jacobo de Chriſto ejusque doctrina eſſet ſententia.* De illo quidem ſermo non eſt, hic autem quæſtionis ſenſus omnino continetur in θύρᾳ τȣ̃ Ἰησȣ̃ modo explicata. Nec interrogatio illa Judaica recte a V. C. propoſita videtur, מאי שערת דישוע,

cum

cum ſatis ſit מְאִי aut מא שער ישוע. Fieri autem potuit, ut Judæi ex eo, quod Chriſtus ſemet ipſe *θύραν* vocat Joh. X. 7. eam phraſin adhibuerint, quamvis ipſe Chriſtus *θύρα* ſit, & quidem *τῶν προβάτων*, confer ad Johannis locum Pſ. CXVIII, 19. 20. Arnobius de Chriſto *Lib. II. adverſus Gentes* p. 43. *Ergone ille religionis extinctor & impietatis auctor arguitur, qui veram in orbe religionem induxit? qui hominibus cæcis, & revera in impietate degentibus* PIETATIS APERUIT JANUAS? quæ phraſis aliquo modo ad Judaicum שער accedit. Ovidius *Rem. amoris* v. 233.

Sed tamen eſt ARTIS ſtrictiſſima JANUA NOSTRAE,
Et labor eſt unus tempora prima pati.

Unum adhuc locum in ejusdem Viri Cl. *Obſervationibus Lib. II. cap. 3.* examinaſſe ſufficiat. Verba Deut. XXVI. 5. initium orationis complectentia, quæ Judæis præſcripta erat cum Deo primitias frugum offerrent, ארמי אבד אבי exponit *Syrus erro pater meus*, & ad paſtoritiam Jacobi vitam refert, incertis propterea ſedibus vagati. Verum vehementer huic expoſitioni inopia exemplorum adverſatur, quibus paſtorem אבד & ita quidem dici ut *erronem* ſignificet, conſtare poſſit: Pſalm CXIX. v. 176. quem attulit, *de ove perdita* loquitur, Paſtore ſcilicet deſtituta, cui pereundum ſit: quare Dei paſtoris curam ibidem implorat בקש עבדך *quære ſervum tuum*, ut ovem nempe certiſſime alias perituram: aberrantes enim a Paſtore oves pereunt, ut notum eſt, & frequentiſſime dicitur in S. litteris vide 2. Chron. XVIII, 16. Ezech. XXXIV,

ſ. 8. Jeſ. LIII, 6. Jerem. XII, 3. Zach. XI, 7. Matth. IX, 36. *ὅτι ἦσαν ἐκλελυμένοι καὶ ἐῤῥιμμένοι, ὡσεὶ πρόβατα μὴ ἔχοντα ποιμένα.* Cum igitur ovis Paſtore carens ſit אבד, aut שה אבד, male Paſtori ipſi tribuetur qui in cauſſa eſt, ne ovis pereat. Accedit, quod *ovis* אבד in Novo Teſtamento vertatur *πρόβατον ἀπολωλὸς* Luc. XV, 4. Matth. X, 6. &c. ut LXX. Ps. 118. 176. qui ubique fere Hebræorum אבד reddunt per *ἀπόλλυμι,* in Apocalypſi 9. 11. Ἀβαδδὼν אבדון exponitur Ἀπολλύων i. e. *ὀλοθρευτής.*

Ego relictis aliorum expoſitionibus, etiam a Viro Cl. memoratis, expoſuerim Aramæus aut *Syrus erat periens,* aut *periturus, pater meus.* Potuit Jacobus Syrus appellari, quod mater fuiſſet Syra, uxores Syræ, & viginti annos in Syria habitaſſet: quemadmodum Jeſus vocatur *Nazarenus* & *Galilæus* qui tot in ea urbe & regione annos fuerat commoratus conf. Ezech. 16, 3. Joſeph cum fratribus *Ægyptii* appellantur Gen. 50, 11. Jether appellatur Iſraelita 2. Sam. 17, 25. qui origine Iſmaelita erat 2. Chron. 2, 17. אבד *perditus* Jacobus dicitur, ob diram famem, qua terra Canaan & ipſe urgebatur, quæque in cauſſa fuerat, ut tandem migraret in Ægyptum: cum ante filios eo fruges emturos mitteret, propterea id ſe facere dicebat ונחיה ולא נמות *ut vivamus nec moriamur* Geneſ. XLII, 2. Continuo etiam hoc loco illa migratio ſubjicitur, talis enim eſt contextus: *Syrus periturus erat pater meus* וירד מצרימה ויגר שם *& deſcendit in Ægyptum & ibi peregrinus fuit.* Ita Jobi XXXI, 19. אבד eſt *egenus* ad incitas fere redactus,

ctus, quem locum minus recte V. C. de *errone* exponit. Sic etiam Jobi XXIX. 13. Luc. XV, 17. λιμῷ ἀπόλλυμαι. Participia temporis præſentis ſæpius futurum includunt apud Hebræos, ut Deut. 2, 4. אתם עברים בגבול אחיכם *vos tranſituri eſtis per fines fratrum veſtrorum filiorum Eſau.*

Opportuna autem & accommodata erat illa Israelitæ primitias offerentis præfatio: qua gratus fatebatur, rediiſſe ſe in terram, e qua patriarcha ob diram famem profugus fuerat, atque in eam quidem terram, quæ nulla inopia premeretur, ſed optimis & uberrimis frugibus abundaret: quare merito ob inſignem illam cataſtrophen, ſummo Dei beneficio factam, hoc munuſculum gratiſſimo animo offerret, & Numinis veracitatem benignitatemque publicis laudibus concelebraret &c. hæc ſatis aperte docent ſequentia hujus capitis. miſeros Paganos Iſidi aut Cereri primitias obtuliſſe frugum inventrici ad gratum animum teſtificandum, notum eſt: attulit nonnulla Majus Filius *Obſ. Sacr. Lib. II.* p. 66. & in *Addendis* p. 157. qui etiam nonnulla ſimilia de hoc loco cogitaſſe videtur, plura attulit Spencerus, ſed τῇ ὑποθέσει δȣλεύων. Quod autem poſterioribus temporibus primitias ſolemni pompa fidibus adhibitis, bove præeunte deauratis cornibus & oleagina corona cincto, principibus viris calathos primitiarum humeris portantibus, Hieroſolymam delatas narrant Rabbini in בכורים f. 83. apud Wagenſeilium ad *Sota* p. 659. haud difficulter largior à Paganis accepiſſe: talis enim fere *Pompa* erat *Panathenaica* à Meurſio deſcripta

Q 3 Boves

Boves coronati & deauratis cornibus Paganorum erat inventum, nulla lege divina imperatum: igitur eos Judæos imitatos cenſuit non Spencerus modo, ſed & Cl. Lackemacherus *Obſ. 3.* p. 79.

Cl. Majus l. c. ארמי non *Syrus*, ſed *Syrienſis* reddi vult, quod jam Grotius vidiſſet, & Caſaubonus diſcrimen docuiſſet ad Spartiani Hadrianum. at non video, quare ob rationes ſupra allatas *Syrus* verti non debeat, minus autem intelligo, quare Caſaubonus advocetur, qui diſcrimen *Syrum inter & Syrienſem plane doceat*, is enim l. c. nihil de Syro & Syrienſi habet, ſed de Hiſpano & Hiſpanienſi hæc affert, *Hiſpanus ὁ αὐτόχϑων, ut cujus majores aliunde orti non dicantur;* Hiſpanienſis, *qui etſi in Hiſpania natus, aliunde tamen ſit oriundus*, quid hoc ad Jacobum, in Syria minime natum?

Ælianus *Var. Hiſt. Lib. XI. cap. 8.* Harmodii ſororem ait ab Hipparcho prohibitam a Panathenaicis, καὶ ἴσως ἀξίαν ȣ̄σαν. Celeberr. Perizonium offendit illud ἴσως, tanquam *frigide & inepte* additum, cum facile virgo attica digna eſſet, quæ caniſtrum in illo feſto ferret. Oſtendi *in Obſervat. meis* ad Lucam XX, 13. ſanum locum eſſe, dummodo ἴσως vertatur *certe, ſine dubio, prorſus, omnino*, eamque ſignificationem luculenter docui. Nuperrimus Æliani Editor, cujus admodum raræ in Ælianum extant expoſitiones, eodem plane modo locum tuetur, LXX. itidem 1. Reg. XXV, 21. a me citatos affert, at nulla prorſus defenſionis meæ facta mentione. Idem etiam expoſitionem meam Æliani *Lib. III.*

cap.

cap. 17. ad Lucam XV, 15. adoptat, eodem, quo docui, ſenſu, & Lucam citat, ſed de Obſervationibus meis altum ſilentium, quamvis illæ in Belgio jam anno 1720. proſtarent, cum Ælianus ille anno 1731. demum prodierit. Eadem autem τȣ̃ ἴσως ſignificatione obſervata, carere poterimus emendatione acutiſſimi Marklandi in Lyſia tentata. Verba Lyſiæ ſunt in *Epilogo contra Epicratem: Ego autem ſic fieri poſtulo, ut, ſiquidem nihil eos mali perpetraſſe exiſtiment, demonſtrata falſa accuſatione, ſic vos ad abſolutionem flectant; ſin autem, quamvis eos deliquiſſe exiſtiment, deprecentur, manifeſtum eſt, benevolentiores eſſe iis, qui malum perpetraverunt, quam vobis, qui perpeſſi eſtis,* ἴσως τε ȣ̓ χάριτος ἄξιοι τυχεῖν, ἀλλὰ τιμωρίας, *atque omnino non dignos, qui gratiam, ſed pœnam conſequantur.* Cl. Marklandus ἴσως τε hic convertit in ὥςε, applaudente Taylorio, doctiſſimo Lyſiæ editore; qua tamen emendatione nihil opus eſt, ſi conſideratius judicemus. Eodem ſenſu paullo ante ἴσως ibidem occurrit, καὶ νῦν ἴσως ποιήσȣσιν, ἅπερ καὶ πρότερον ἦσαν εἰθισμένοι, *& nunc ſine dubio idem facient, quod & ante conſuevere, ut tribules & amici lacrymis apud vos deprecentur.* Hoc ſenſu præter loca a me in Obſervationibus citata ἴσως frequentiſſimum eſt, vide etiam Luciani *Pſeudologiſtam* p. 439. 440.

Plutarchus extra dubitationem depravatus eſt Libro *de Iſide & Oſiride* p. 355. ubi Ægyptios dicit, coelum hieroglyphice proponere, τὸν δὲ ȣ̓ρανὸν ὡς ἀγήρω διὰ ἀϊδιότητα καρδίᾳ θυμὸν ἐσχάρας ὑποκειμένης, apparet, θυμὸν loco ſic conſtituto tolerari

tolerari non poſſe, & ſenſui officere. Xylander in *annotationibus pro* θυμὸν legendum θυμιατηρίυ, & ἐσχάρας aut θυματηρίυ, aut gloſſema eſſe, inque textum culpa librarii inſertum putat. Orus Apollo ſic ſcriberet: Αἴγυπτον γράφοντες θυμιατήριον καιόμενον ζωγραφῦσι καὶ ἐπάνω καρδίαν, ex Hermetis autem *Triſmegiſti* Aſclepio, quem Apulejus in Latinum tranſtulit appareret, Aegyptum coeli fuiſſe imaginem, ut mirum minime ſit, corde in foco ardente poſito utrumque fuiſſe repræſentatum. V. C. de Pauw *Obſervat. in Horapollinem* p. 316. Xylandrum *nimis arbitrarie & minus perite* emendaſſe pronunciat, & ſecum ſcribi jubet θυῶν ἐσχάρας. θύος & θύον idem ſæpe eſſet quod θυμίαμα, & θυῶν ἐσχάρα *focus, in quo fiunt ſuffitus*, eleganti adjectione, quia ara major in qua victimarum fiat oblatio, etiam ἐσχάρα dicatur, ἐσχάρα θυῶν igitur ipſum θυμιατήριον eſſet & acerram denotaret venuſte. Utinam vero locum attuliſſet, quo θυῶν ἐσχάρα idem eſſe quod θυμίαμα & θυμιατήριον eſſe conſtaret, quod niſi fiat, nemo ſane cordatior ejus generis emendationem admiſerit. Nec Horapollo eodem Hieroglyphico Ægyptum & coelum deſignari dicit, ſed Ægyptum & Zelotypiam: δηλῦντες verba ejus ſunt *cap.* 22. *p.* 39. ὅτι ὡς ἡ τῦ ζηλοτύπυ καρδία διὰ παντὸς πυρῦται, ὕτως ἡ Αἴγυπτος ἐκ τῆς θερμότητος διὰ παντὸς ζωογονεῖ τὰ ἐν αὐτῇ ἢ παρ' αὐτῇ ὑπάρχοντα, igitur Orus Apollo, aut Horapollo, nihil quidem facit ad Plutarchum emendandum.

Cyrillus

Cyrillus Alexandrinus *adverſus Julianum Lib. IX.* p. 300. Ægyptios coelum deſignaſſe *aſpide* auctor eſt, ἀναγράφειν αὐτοὺς ἀσπίδα μὲν εἰς οὐρανοῦ τύπον, διά τοι τὸ κυκλοφερές· ὄφιν γε μὴν εἰς χρόνον, ὡς μακρόν τε καὶ πολυέλικτον, διέρποντα δὲ ἀψοφητί, *aſpidem eos pingere in coeli imaginem, quod in gyrum volvitur. Serpentem vero in temporis ſymbolum, quoniam longum & volubilis eſt, ac ſine ſtrepitu ſerpit.*

Haud diſſimilia Plutarchus tradit *de Iſide & Oſiride* p. 381. aſpidis nimirum imagine Ægyptios ſidera coeleſtia repræſentaſſe, quod eſſet *ſenii expers* &c. Ἀσπίδα δὲ, ὡς ἀγήρῳ — ἄστρῳ ἢ προσείκασαν. Priore autem loco ex eodem libro citato, *coeli* hieroglyphicum exhibiturus, nullum revera affert, hæc tantum dicit, τὸν δὲ οὐρανὸν ὡς ἀγήρω διὰ ἀϊδιότητα. Adjecit id hieroglyphicum autem Cyrillus l. c. *aſpidem* pingere Ægyptios dicens *coeli imaginem*, ἀσπίδα εἰς οὐρανοῦ τύπον.

Idem Cyrillus pergit l. c. *Iram* Ægyptios *foco* deſignaſſe, corde deſuper pendente, Θυμὸν *ænigmatice ſignificaturi, ſculpunt* ἐσχάραν, καρδίας ἐπηρτημένης. Sequuntur apud Plutarchum p. 355. poſt verba τὸν δὲ οὐρανὸν ὡς ἀγήρω διὰ ἀϊδιότητα hæc verba: καρδίᾳ (δὲ) θυμὸν ἐσχάρας ὑποκειμένης. Quis hic non videat, deeſſe apud Plutarchum coeli hieroglyphicum, id autem *aſpidem* eſſe: quare ἀσπίδι e Cyrillo & ipſo Plutarcho inſerendum ſit, h. m. *coelum ut ſenii expers ob æternitatem aſpide, corde iram ſignificant foco ſuppoſito*, qua ratione non modo Plutarchi lacuna explebitur, verum etiam idem ſymbolum coeli & iræ extabit apud Plutarchum & Cyrillum.

Tali modo Plutarchum jam integritati reddidi *in Obſervationibus meis in Epiſt.* ad Rom. II, 8. *Tomo II.* p. 25.

Accedit ad utriusque ſymboli confirmationem Horapollo. Is *Lib. I. cap.* 2. Ægyptios mundum, coelum & terram, ſerpente expreſſiſſe dicit. Κόσμον βουλόμενοι γράψαι ὄφιν ζωγραφοῦσι τὴν ἑαυτοῦ ἐσθίοντα οὐρὰν, ἐστιγμένον φολίσι ποικίλαις· Διὰ μὲν τῶν φολίδων αἰνιττόμενοι τοὺς ἐν τῷ κόσμῳ ἀστέρας — καθ' ἕκαστον δὲ ἐνιαυτὸν τὸ γῆρας ἀφεὶς ἀποδύεται· καθ' ὃ καὶ ὁ ἐν τῷ κόσμῳ ἐνιαύσιος χρόνος ἐναλλαγὴν ποιούμενος νεάζει, *mundum exprimere volentes ſerpentem pingunt, ſuam ipſius caudam vorantem variis interſtinctum ſquamis: per ſquamas quidem ſtellas mundi i. e. coeli, ſignificantes — ut autem ſerpens quotannis ſenium exuit, ſic & mundus mutato & circumacto tempore, anno vertente, renovatur.* Exhibet hic ſerpentem aut aſpidem imaginem *coeli,* & ſenii expertem, eodem modo, quo Plutarchus & Cyrillus exhibuerant.

Idem *Zelotypiæ* ſymbolum ab Ægyptiis oſtentatum dicit, corde acerræ flagranti impendente *cap.* 22. p. 38. Θυμιατήριον καιόμενον — καὶ ἐπάνω καρδίαν, *quia* ἡ τοῦ ζηλοτύπου καρδία διὰ παντὸς πυροῦται· eſt autem zelotypia θυμὸς *ira fervens.* Igitur convenit Horapollini etiam *in iræ ſymbolo* cum Plutarcho & Cyrillo.

Quoniam in Ægyptiorum Hieroglyphica ſymbola & imagines incidi, aliquid ejusdem generis e Diodoro Siculo adjiciam, eumque vitio laborantem ſanare conabor. Deſcribit ille *Lib. I.* p. 44. ſtatuam matris Oſymanthyæ aut Oſyman-

mandyæ regis, *cubitorum viginti, ex uno ſaxo factam*, ἔχουσαν δὲ pergit, ΤΡΕΙΣ ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, αἱ διασημαίνειν, ὅτι καὶ θυγάτηρ, καὶ γυνὴ καὶ μήτηρ βασιλέως ὑπῆρξε. Vertitur, *in cujus capite tres reginæ, quibus ſignificatur, filiam, uxorem & matrem regis fuiſſe.* Tres illæ reginæ vitio huc illatæ videntur, & vehementer illuſtrem quondam Cuperum offenderunt, ut in *epiſtola ad Clericum* docet in nuperrima *Sylloge* p. 368. Conjicit vir ampliſſimus, quemadmodum βασίλειον non modo regnum ſignificaret, verum etiam *coronam & diadema*, fieri poſſe, ut βασιλεία itidem *coronam & diadema* ſignificet, atque ſic tres coronæ, aut *triplex diadema* ſignificaretur, quomodo *duplex Artabani diadema* apud Herodianum occurreret. Salmaſium hanc conjecturam præcepiſſe video, *ad Solinum* p. 337. qui βασιλείαν exponit στέμμα βασιλικὸν, & addit, τρεῖς βασιλείας hic eſſe *tres coronas*, ad verbum *tria regna*, quomodo recentiores Latini *regnum* pro corona regis uſurparent.

At neuter virorum docuit, βασιλείαν jam illis temporibus *coronam & diadema* deſignaſſe, nec ad recentiorem potius Græcitatem pertinere, quam ipſi ſuſpicionem movent. Nonnullos pro ea ſignificatione βασιλείαν è Plutarcho afferre novi, ſed non perſuadent.

Quid ſi loco βασιλείας apud Diodorum legendum videatur βασιλίσκους? h. m. quæ ſtatua *habet tres baſiliſcos ſupra caput, qui ſignificarent, quod & filia & uxor & mater regis fuiſſet.* Βασιλίσκος Latine *regulus*, ſymbolum ſatis accommoda-

 tum

tum fuit *regis* & *reginæ:* eſt enim ſerpens *candida in capite macula, ut quodam diademate, inſignis, & ſibilo ſuo omnes ſerpentes fugat: nec flexu multiplici, ut reliqui, corpus impellit, ſed celſus & erectus incedens.* Plinius *Lib. VIII. cap.33.* & Bochartus *Hierozoici Part. II. Lib.3. cap.9.* qui baſiliſcum in Ægypto inprimis inveniri docet. Hiskias rex ob eam cauſſam *Baſiliſcus* appellatur Jeſ. XIV, 29. Ægyptii autem baſiliſcum aureum Deorum capitibus ex tali ratione imponebant. Horapollo *initio*, cum dixiſſet *αἰῶνα ævum* Ægyptios *ſerpente* indicare, caudam ſub reliquo corpore abſcondente, quem Ægyptii *Οὐραῖον* vocarent, pergit, *ὅ ἐςιν* Ἑλληνιςὶ ΒΑΣΙΛΙΣΚΟΝ· ΟΝ ΠΕΡ *χρυσȣ͂ν ποιȣ͂ντες*, ΘΕΟΙΣ ΠΕΡΙΤΙΘΕΑΣΙ, & hac cauſſa addita, quod ſolus e ſerpentum genere baſiliſcus immortalis ſit, & ſolo afflatu interimat, adeoque poteſtatem vitæ & necis habere videatur, ſubjicit, *διὰ τȣ͂το* ΑΥΤΟΝ ΕΠΙ ΤΗΣ ΚΕΦΑΛΗΣ ΤΩΝ ΘΕΩΝ ΕΠΙΤΙΘΕΑΣΙΝ. Cum vetuſtiſſima autem conſuetudine Reges & Reginæ Deorum immortalium inſtar colerentur, ab Ægyptiis maxime, Diodoro auctore, qui hæc habet p. 81. *Lib. I. τȣ̀ς ἑαυτῶν βασιλεῖς προσκυνεῖν τε καὶ τιμᾶν, ὡς πρὸς ἀλήθειαν ὄντας θεȣ̀ς*, inde factum eſt, ut & baſiliſcos capitibus eorum imponerent, matri autem Oſymanthyæ *tres*, quod triplici nomine & titulo regina eſſet, utpote filia, mater & uxor regis.

Locupletiori teſtimonio Ælianus *Lib.VI. Hiſt. Animalium cap.38.* docet, Ægyptiorum Reges *aſpides in diadematibus pictas* geſſiſſe, *βασιλεῖς ἀκȣ́ω τῶν Αἰγυπτίων ἐπὶ τῶν διαδημάτων φορεῖν πεποικιλ-*

μένας

μένας ἀσπίδας, additque, ſymbolum id eſſe *invicti regni*, *τῆς ἀρχῆς ἀνιττόμενοι τὸ ἀνίκητον ἐκ τῆς ζωῦ μορφῆς*, cujus rei cauſſam ante attulerat, quod nemo unquam ab aſpide morſus evaſiſſe diceretur. Erat autem *aſpis* non modo e ſerpentum genere, quemadmodum baſiliſcus, verum proxime ad baſiliſcum accedit, præſentiſſimum morſu adferens periculum mortemque, vide Bochartum *l. c.* Aſpis Iſidis capiti impoſita apparet apud Pignorium *in menſa Iſiaca* p. 26. confer. Spanhemium *de uſu & præſtantia Numism. Tom. II.* p. 222. Serpens etiam in Minervæ caſſide apparet in *Muſeo Etruſco* Cl. Gori p. 90. Valerius Flaccus *Lib. 4. Argonaut. v. 416.*

Hæc procul Iö
Spectat ab arce Phari, jam DIVIS ADDITA, jamque
ASPIDE CINCTA COMAS, & ovanti perſona ſiſtro.

ubi Heinſius ſuſpicatus olim fuerat, legendum *ſpicis cincta comas*, ſed vulgatam defendi poſſe credebat ex Apuleji deſcriptione Iſidis, *dextra lævaque ſulcis inſurgentium viperarum cohibita*, addit Cl. Burmannus, *Iſidem* à quibusdam *Furiam* habitam. multo accuratius autem Valerius ex Ægyptiorum more defenditur, Deos ſerpentibus coronandi. Iſidem autem, aliosque Deos, brachia ſerpentibus circumvoluta habuiſſe, oſtendi ad Actor. 28. in *Obſervationibus*, & pluribus docebo, Deo volente. At meliora hic nos fortaſſe docebit Celeb. Weſſelingus, in nova Diodori editione, ab inſigni doctrinæ & Codicum MStorum apparatu inſtructus, qvam avide expectamus.

CAPUT XIII.

Inſignis Inſcriptio Thyatirena exponitur & emendatur, diverſe deſcripta, variis modis verſa a Sponio, van Dalen, B. de la Baſtie, Muratorio. Nova verſio & uberior commentarius. Prænomen *M. Aurelius* ab imperatore acceptum. Pontificum nomina mutata. Ἱππικὸς an *eques?* Ἀρχιερεὺς Ἀσίας. Plurium templorum Deorumque Pontifex. Διὰ βίȣ *per vitam*, *perpetuus Pontifex.* Βȣλαρχὸς rarum vocabulum. Pontifices etiam inter magiſtratus. Τιμηθεὶς in genere *in honore habitus.* Imperatores etiam vivi videntesque θειότατοι & θεοί. Φιλοτιμησάμενος jungitur infinitivo. Deſignat *liberalem* & magnificum. Ἐνδόξως καὶ μεγαλοφρόνως. Mendoſum τοῖς ὄξεσιν convertitur in τὸ aut τοῖς, ἑξῆς. Ἤθη, Εὐνοία, Διαπρέπων. Duo loca Dionis Caſſii, in quibus B. de la Baſtie aliique hæſerunt, emendantur & exponuntur. An duo imperii collegæ Romani ſimul Pontifices Maximi. Athenæus exponitur. Ampl. Bouherii diſſertatio *de Pontificatu Maximo Imperatorum Rom.* conſideratur.

Exſtat apud Sponium memorabilis Inſcriptio, Thyatiris inventa, at mutila & depravata, extat eadem apud Ricaut, *Etat préſent de l'Egliſe Grecque* p. 89. in qua vertenda & exponenda ingenii vires periclitati ſunt Viri doctiſſimi, Sponius *Tom. I. Voyages* p. 313. Antonius van Dalen *Diſſertat. 3. de Pontif. Græcorum & Aſiarchis* p. 234. &, qui nuperrime eam inprimis rectius exponere & illuſtrare conatus eſt, Vir natalibus non minus quam eruditione inſignis, Joſephus de Bimard la Baſtie Baro Montis Seleuci *dans les Memoires de la Literature de l'Academie des Inſcriptions & Belles Lettres Tom. XVIII.* ubi agit de ſupremo Pontificatu Imperatorum Romanorum p. 571. & Baro de la Baſtie appellatur. Inſcriptio apud Sponium hæc eſt:

H

Η ΠΑΤΡΙΣ

Μ. ΑΥΡ. ΔΙΑΔΟΧΟΝ ΙΠΠΙΚΟΝ ΤΟΝ ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ ΝΑΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΠΕΡΓΑΜΩΙ ΚΑΙ ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΚΑΤΑ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ ΚΑΙΡΟΝ ΤΗΣ ΠΑΤΡΙΔΟΣ ΚΑΙ ΔΙΑ ΒΙΟΥ ΒΟΥΛΑΡΧΟΝ ΤΙΜΗΘΕΝΤΑ ΥΠΟ ΤΟΥ ΘΕΙΟΤΑΤΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ Μ. ΑΥΡ. ΣΕΟΥΗΡΟΥ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΣΥΝΑΨΑΙ ΤΑΣ ΑΡΧΙΕΡΩΣΥΝΑΣ ΤΟΙΣ ΟΞΕΣΙΝ ΕΝ ΕΚΑΤΕΡΑΙΣ ΤΑΙΣ ΠΟΛΕΣΙΝ ΦΙΛΟΤΙΜΗΣΑΜΕΝΟΝ ΕΝΔΟΞΩΣ ΚΑΙ ΜΕΓΑΛΟΦΡΟΝΩΣ ΑΝΔΡΑ ΕΠΙ ΗΘΕΣΙ ΚΑΙ ΕΠΙΕΙΚΕΙΑΙ ΚΑΙ ΤΗΙ ΠΡΟΣ ΤΗΝ ΠΑΤΡΙΔΑ ΕΥΝΟΙΑΙ ΔΙΑΠΡΕΠΟΝΤΑ.

Ita vero eam vertit:

La Patrie a erigé ce monument d'honneur à Marcus Aurelius Diadochus Hippicus, Pontiſe d'Aſie mineure aux Temples qui ſont à Pergame, & Pontiſe dans le même tems de ſa Patrie, & Conſeiller durant ſa vie, honoré par le tres — divin Empereur Marc — Aurele Severe Antonin, (c'eſt à dire Caracalla) *des charges du Pontificat, qu'il à données dans l'une & l'autre Ville à des perſonnes intelligentes, qui s'en aquittent avec honneur & éclat: en reconnoiſſance de ſon mérite particulier, de ſes bonnes moeurs, de ſa douceur, & de ſa bonne volonté envers la Patrie.*

Van Dalen ita vertit:

Patria (erexit hoc monumentum) honori Marci Aurelii Diadochi (ſummi Sacerdotis ſui) Pontificis Aſiæ (Minoris) Templorum

quæ

quæ ſunt Pergami, & Pontificis (ſeu ſummi Sacerdotis) eodem tempore Patriæ ſuæ, & ad vitam primi Conſiliarii, honorati a digniſſimo Imperatore Marco Aurelio Severo Antonino Auguſto, quod glorioſe ac magnifice ſtuduerit injungere Archieroſynas in ambabus civitatibus (Thyatiræ ſcilicet & Pergami) acutis, (eoque munere dignis ſacerdotibus.) Viri, moribus, æquitate, ac bona in patriam voluntate eximie excellentis.

B. de la Baſtie ſic vertit:

Patria

M. Aurelium Diadochum, ſummum Pontificem Aſiæ, Templorum quæ Pergami ſunt, & eodem tempore Summum Pontificem Patriæ, & ad vitam Curiæ Principem: quem diviniſſimus Imperator M. Aurelius Severus Antoninus Auguſtus affecit honore conjungendi duo ſumma ſacerdotia, quique — — in utraque civitate glorioſe, & ut excelſi animi virum decebat, ſe geſſit: virum, moribus & caritate ergo Patriam præſtantiſſimum. (Suppl. *bonoravit.*)

Invenit hæc inſcriptio locum etiam in *Novo Theſauro Inſcriptionum* Muratorii, Tomo II. p. 557. ubi ita vertitur:

Patria

M. A. Diadochum Equitem, Pontificem Aſiæ, Templorum exiſtentium in Pergamo, & Pontificem uno eodemque tempore Patriæ, & perpetuum in Senatu Archontem, dignum habitum a diviniſſimo imperatore M. Aurelio Severo Alexandro Auguſto, qui ſimul conjungere ſumma ſacerdotia — — in utriſque urbibus, munere ſuo glorioſe fungentem, nobiliter ac magnifice, virum, tum moribus tum celebritate, atque erga patriam benevolentia eximium.

Omiſit

Omiſit in Græca inſcriptione van Dalen ἐν ἑκατέραις ταῖς πόλεσιν, B. de la Baſtie autem ἱππικὸν, apud quem etiam male ſcribitur χαιρὸν pro καιρὸν, Muratorius pro ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ legit ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, idem ΕΚΑΤΕΡΙΑΙΣ habet & ΕΠΙΕΥΚΛΕΙΑΙ pro ΕΠΙΕΙΚΕΙΑΙ, unde mirum non ſit, plerasque inſcriptiones mancas & corruptas ad nos afferri, cum vel typis expreſſæ vitioſe deſcribantur. Van Dalen ſua verſione confiſus p. 239. hinc concludit, Diadochum etiam reliquos Ἀρχιερέας iſtius ditionis conſtituiſſe, quo etiam Sponius inclinat. B. de la Baſtie Sponium quidem & van Dalen erraſſe deprehendit, ſed τοῖς ὄξεσι exponit de *temporibus calamitoſis* & cet.

Ego pace doctiſſimum virorum paullo aliter vertam, emaculare & corrigere depravata, & ſingula explicatius docere conabor. Sic autem verto:

PATRIA

MARCUM AURELIUM DIADOCHUM HIPPICUM PONTIFICEM ASIAE TEMPLORUM QVÆ SUNT PERGAMI ET PONTIFICEM EODEM TEMPORE PATRIÆ ET PER VITAM SENATUS (aut Curiæ) PRINCIPEM HONORATUM A DIVINISSIMO IMPERATORE MARCO AURELIO SEVERO ANTONINO AUGUSTO, QVI CONIUNGERE (hos) PONTIFICATUS ALTERNIS VICIBUS IN UTRAQUE URBE INSIGNI STUDIO ELABORAVIT PRÆCLARE ET MAGNIFICE VIRUM INDOLE ET ÆQVITATE ET ERGA PATRIAM BENEVOLENTIA EXCELLENTEM.

ſubaudi *honoravit*.

ΜΑΡΚΟΝ ΑΥΡΗΛΙΟΝ. MARCVS AURELIUS plurimis apud eundem Gruterum, Sponium & Muratorium impoſitum apparet, Pontificibus etiam, ut & M. AURELIO ALEXANDRO Apamenſium, & ASIARCHIS Smyrnæorum & Cycizenorum in nummis apud Spanhemium *Tom. II. p. 417.* aliisque infra afferendis. Cum Marcorum Aureliorum Imperatorum temporibus tot Pontifices occurrant iisdem nominibus inſigniti, in eam facile conjecturam inducor, illa nomina a Pontificibus recens creatis, aut novo beneficio auctis, aſſumta fuiſſe, honoris & grati erga Imperatores devotique animi teſtandi cauſſa, quemadmodum Patronorum nomina clientes & liberti, Deorum Sacerdotes, imponere ſibi ſolebant, quomodo FLAVII nomen a Veſpaſiano Joſephus accepit. Eadem conſvetudine Papæ Romani priſtina nomina mutant, & defunctorum Paparum aut Sanctorum Patronorum ſumunt, qua de re dixi in *Deſcriptione mea Græcorum Chriſtianorum in Turcia*, & plura dicam in *Addendis* ſeu *Supplementis*. Cum Pontifices igitur Pagani, Imperatores Romanos Patronorum & Deorum loco venerarentur, mirandum non eſt, eorum ſibi nomina impoſuiſſe.

ΔΙΑΔΟΧΟΝ proprium nomen, extat quoque apud Gruterum in Inſcriptione *Tom. I. fol. 319.* & alibi.

ΙΠΠΙΚΟΝ. Theſaurus Muratorianus vertit *Equitem*. Verum *Equites* Græce vocantur Ἱππεῖς, & addi ſolet ΡΩΜΑΙΩΝ, qualem Inſcriptio apud Muratorium *Tom. II.* p. 650. exhibet

bet T. ΦΛ. ΓΑΙΑΝΟΝ ΙΠΠΕΑ ΡΩΜΑΙΩΝ, & illum itidem ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΤΟΥ ΚΟΙΝΟΥ ΤΩΝ ΓΑΛΑΤΩΝ ΓΑΛΑΤΑΡΧΗΝ ΣΕΒΑΣΤΟΦΑΝΤΗΝ. alias, ἱππικὸς ſignificaret *rei artisque equeſtris peritum.* Nomen hic eſſe videtur proprium aut gentilitium. Turris Hieroſolymorum erat *Hippica*, ab amico Herodis dicta, auctore Joſepho *Lib. VI. de Bello Jud. cap. 6.* Hippicus carminum auctor ab Euſebio memoratur, ſed a Salmaſio ridetur *ad Solinum*, Ibycum ſubſtituente.

ΤΟΝ ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ. Scopelianus Sophiſta erat is quoque *Aſiæ Pontifex*, *Ἀρχιερεὺς ἐγένετο τῆς Ἀσίας*, Philoſtrato auctore de *Vitis Sophiſtarum* p. 615. Idemque Pontificatus etiam *A*riſtidi Sophiſtæ deſtinatus fuerat, quem *Ἱερωσύνην τὴν κοινὴν τῆς Ἀσίας* appellat p. 579. *Tomi I.* Haud infrequens itidem in marmoribus PONTIFICIS ASIÆ mentio fit, ita tamen, ut & ſingularium urbium templa adjiciantur, curæ inprimis commendata: quemadmodum in hac, quam exponimus inſcriptione, ΝΑΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΠΕΡΓΑΜΩΙ mentio continuo injicitur, atque eo præcipua Pontificis Aſiæ cura convertitur. Pari ratione inſcriptio apud Sponium *in Miſcellaneis eruditæ antiquitatis* p. 356. exhibet *Lucium Julium Bonnatum* ΑΡΙΧΕΡΕΑ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ ΝΑΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΛΥΔΙΑΙ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ, *Pontificem Aſiæ Templorum, quæ ſunt Sardibus in Lydia.* In marmore *A*phrodiſienſi apud Gul. Sherard in *Collectaneis Hiſtoricis A*riſtidi præmiſſis ad annum V. R. 918. occurrit *Marcus Vlpius Appulius Eurycles* ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΑΣΙΑΣ ΑΠΟΔΕΔΕΙΓΜΕΝΟΣ ΝΑ-

ΩN KAI TΩN EN ΣMYPNA, *Pontifex Aſiæ creatus, & Templorum quæ ſunt Smyrnæ.* apud Muratorium *Novo Theſauro Inſcriptionum* p. 232. mentio fit Charidemi APXIEPEΩΣ THΣ AΣIAΣ NAOY TOY EN EΦEΣΩ. In numo, quem e Vaillantio exhibet Montfaucon *Supplement de l'Antiquité expliqu.* p. 46. *Tom.* 2. Frontonis mentio fit Ἀσιάρχȣ καὶ APXIEPEΩΣ IΓ ΠOΛEΩN, numus eſt *κοινȣ̃ tredecim illarum urbium.* Theodori etiam, ad quem extat Juliani *epiſtola 63.* p. 452. Pontificatus Aſiæ ampliſſimus fuiſſe videtur, cui Imperator commiſit ἄρχειν TΩN ΠEPI THN AΣIAN IEPΩN AΠANTΩN, *ut omnibus Aſiæ ſacris præeſſet.* Oſtentat & *Pontificem* Aſiæ *feminam* marmor apud Sponium *l. c.* p. 349. APXIEPEIAN AΣIAΣ NAOY TOY EN EΦEΣΩ. Hinc liquido apparet, plures quidem eodemque tempore *Pontifices Aſiæ* fuiſſe, ſed ad ſingulares quoque, ut ita dicam, dioeceſes deſtinatos, quarum ſingularem curam gererent. In Ægypto autem alia conſuetudo obtinuiſſe videtur, ſic, ut qui Alexandriæ Pontifex eſſet, omni Ægypto præeſſe cenſeretur. Conſtat id e marmore apud Fabretti *Inſcript. cap. 3.* p. 198.

APXIEPEI AΛEΞANΔPEIAΣ KAI
AIΓYΠTOY ΠAΣHΣ.

vide & Ez. Spanhemium *Diſſert. XII. de præſtantia & uſu numiſm. p. 419. Tom. 2.*

Diadochus præter Pontificatum Aſiæ & templorum Pergamenorum, Thyatirenſis patriæ Pontificatu inſignis apparet,

KAI

ΚΑΙ ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΚΑΤΑ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ ΚΑΙΡΟΝ ΤΗΣ ΠΑΤΡΙΔΟΣ, ſic eum appellat inſcriptio Thyatiris inventa. Nempe & antiquiſſimis temporibus plura ſacerdotia in unum collata leguntur. Lucius ille Julius Bonnatus, de quo modo dictum, *Pontifex Aſiæ & Templorum Sardianorum*, erat quoque ΙΕΡΕΥΣ ΜΕΓΙΣΤΟΥ ΠΟΛΙΕΟΣ ΔΙΟΣ & ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΤΩΝ ΤΡΙΣΑΠΟΛΕΩΝ, apud Sponium, quod idem eſſe videtur atque ΙΓ ΠΟΛΕΩΝ. *Eubulus* apud Montfaucon *Diario Italico* p. 43. deſcribitur ΙΕΡΕΥΣ ΤΩΝ ΜΕΓΑΛΩΝ ΘΕΩΝ ΚΑΙ ΠΑΛΙΝ ΤΟΥ ΑΣΚΛΗΠΙΟΥ &c. quamvis id de diverſis temporibus accipi & exponi queat.

ΔΙΑ ΒΙΟΥ, *per vitam*, plenius dicitur *διὰ παντὸς*, aut *δι' ὅλȣ βίȣ*. id Viri doctiſſimi ad *βȣλαρχὸν* referunt, ego referendum exiſtimem ad ΑΡΧΙΕΡΕΑ, ut ſignificet *PERPETUUM PONTIFICEM*, qui Pontificatu per omnem vitam defungatur. Ejus generis Pontificum & Sacerdotum ſatis frequens memoria in lapidibus litteratis extat: apud Spon. *Voyages Tom. II.* p. 403. ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ ΔΙΑ ΒΙΟΥ, eandem inſcriptionem e Whelero exhibet Muratorius Novo Theſauro *Inſcript. Tom. I.* p. 137. aliam autem *Tom.* 2. p. 561. quæ exhibet *Titum Statilium* ΤΟΝ ΕΛΛΑΔΑΡΧΑΝ ΚΑΙ ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΔΙΑ ΒΙΟΥ vide p. 551. ap. Gruterum f. 1089. ΙΕΡΕΥΣ ΔΙΑ ΒΙΟΥ. Alia inſcriptio ibidem f. 313. n. 10. oſtentat ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΤΟΥ CΥΝΠΑΝΤΟC ΞΥCΤΟΥ ΔΙΑ ΒΙΟΥ. apud Sponium *Miſcellaneis eruditæ antiquitatis* p. 335. Marci Aurelii Fauſti mentio fit ΑΡΧΙΕΡΕΩC ΕΚ ΠΡΟΓΟΝΩΝ ΔΙΑ ΒΙΟΥ. La-

tine dicuntur PERPETUI PONTIFICES, quorum & in inſcriptionibus crebra mentio apud Gruterum, aliosque occurrit. De Pontificibus διὰ βίȣ vide Ez. Spanhemium *de Uſu & præſtantia numiſm. Part. II.* p. 421. Hac ratione comma poſt διὰ βίȣ ponendum, & hæc verba dirimenda eſſent a ſequenti Bȣλαρχὸν. Quamvis ΔΙΑ ΒΙΟΥ ΒΟΥΛΑΡΧΟΣ eadem ratione dici poſſet atque ΔΙΑ ΒΙΟΥ ΞΥΣΤΑΡΧΗΣ, inprimis, cum & ſcriptum inveniatur ΞΥΣΤΑΡΧΗΣ ΔΙΑ ΒΙΟΥ apud Gruterum f. 313. & ΑΙΩΝΙΟΝ ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΟΝ inſcriptio habeat in Theſauro Muratoriano *Tom. II.* p. 560. tamen Octavius Falconerius, nec immerito, etiam in ejusmodi athleticis Inſcriptionibus διὰ βίȣ potius referendum putat ad ΑΡΧΙΕΡΕΑ l. c. p. 2307. Apud Romanos Pontifex Maximus ſemper erat ΔΙΑ ΒΙΟΥ, *perpetuus*, nec viventi ille honos detrahi poterat: ex qua ratione Auguſtus oblatum ſibi Pontificatum recuſaſſe legitur, Lepido Pontifice adhuc ſuperſtite. ȣ̓δὲ γὰρ ἐξῆν ζῶντα τινὰ ἀφελέσθαι, *neque enim fas erat, viventi alicui* (pontificatum) *adimere*, apud Dionem *Lib. 49.* p. 401. In coloniis tamen Pontifices poſtea ad certum tempus creari coeperunt, ut oſtendunt Duumviri maximi, Noris in *Cenotaphiis Piſanis Diſſert. 1. cap. 5.* p. 72. & Ezech. Spanhem. *Tom. II. de uſu & præſtant. numiſm.* p. 420. ex Noriſio eadem affert Juſtus Fontaninus *de Antiquitatibus Hortæ Lib. 1. cap. 2.* p. 39. licet Pontifices Quinquennales in coloniis admittat.

BOY-

ΒΟΥΛΑΡΧΟΝ, *Senatus* aut *Conſilii principem*, in Lexicis vulgatis græcum vocabulum non apparet, βȣλαρχεῖν aut βȣλαρχῶν Ariſtoteles habet *de Republica* p. 501. quod jam Budæus obſervavit, licet locum vage tantum indicaverit. Comparet vocabulum etiam in Inſcriptione apud Muratorium *Tom. 2. p. 594.* ΤΟΥ ΠΑΤΡΩΝΟΣ ΒΟΥΛΑΡΧΕΟΝΤΟΣ ΚΑΛΛΙΚΛΕΟΥΣ. Inde autem ab antiquiſſimis temporibus Pontifices magnam & primam Senatus & Curiæ partem fuiſſe, conſtat ex antiquis monumentis. M. Aurelius Demetrius *Pontifex univerſæ Xyſti per vitam, & Xyſtarchus*, erat ſimul ΒΟΥLΕΥΤΗΣ ΚΑΙ ΑΛΛΩΝ ΠΟΛΕΩΝ ΠΟΛΛΩΝ ΠΟΛΕΙΤΗΣ ΚΑΙ ΒΟΥΛΕΥΤΗΣ, apud Gruterum f. 314. Pontifex *inter ordines* & magiſtratus itidem apparet in *Marmoribus Oxonienſibus* p. 521. & inter Areopagitas, *ibid. p. 350.* quemadmodum Pontifices illi Aſiæ eodem tempore erant ΑΣΙΑΡΧΑΙ, vide Strabonem *Lib. XIV. p. 960.* aliosque *de Aſiarchis* afferendos in Obſervationibus ad Act. XIX, 31. ita & Ἑλλαδάρχης καὶ Ἀρχιερεὺς modo occurrebat apud Muratorium. Ἀρχιερεὺς τȣ̃ κοινȣ̃ τῶν Γαλάτων & Γαλατάρχης. *ib. p. 630.* Jlluſtris Spanhemius pluribus docet, Pontifices ad primos Curiæ honores fuiſſe admiſſos, etiam hac Diadochi inſcriptione allata, in qua βȣλαρχὸν cum διὰ βίȣ conjunctum vertit *perpetuum Senatus præſidem*, p. 417. rectius tamen διὰ βίȣ ad præcedens Ἀρχιερέα referri, modo monui.

ΤΙΜΗΘΕΝΤΑ

ΤΙΜΗΘΕΝΤΑ ΥΠΟ ΤΟΥ ΘΕΙΟΤΑΤΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ, *Honoratum a diviniſſimo Imperatore.* Sponius, & quod magis miror, perſpicaciſſimi Viri, Perizonius ad *Æliani Var. Hiſt. Lib. III. cap. 1.* & B. de la Baſtie ΤΙΜΗΘΕΝΤΑ conſtruunt cum ſequenti συνάψαι, & vertunt, Sponius quidem, *honoré par le tres-divin Empereur des charges du Pontificat, qui l' à données à des perſonnes intelligentes:* Perizonius autem: *Honoratum ab Imperatore conjunctione illorum Sacerdotiorum,* ſeu, *poteſtate ea in ſe uno conjungendi;* B. de la Baſtie: *Quem M. Aurelius affecit honore conjungendi duo ſumma Sacerdotia,* atque hic ſenſum terminari vult. Illa autem conſtructio non modo difficilis & dura eſt, ſed & idiotiſmo linguæ contraria: dependet enim συνάψαι, non à præcedenti τιμηθέντα, ſed a ſequenti φιλοτιμησάμενον, ut ſtatim luculenter apparebit. Illud ΤΙΜΗΘΕΝΤΑ conſtructum eſt cum ὑπὸ τοῦ Αὐτοκράτορος, & ſignificat *honoratum ab imperatore:* tum vero aut abſolute ponitur, & ſignificatur, Diadochum in magna apud Imperatorem exiſtimatione & honore fuiſſe; aut explicari poteſt de honore ſingulari Pontificatus, aut Βουλαρχοῦ potius, id ei honoris datum, ut ſit βουλαρχός. Priore ſenſu Agathocles Samius in honore fuiſſe apud Alexandrum dicitur, τιμώμενος παρ' αὐτοῦ, Plutarchus de *Calumnia* p. 421. & Joſephus ſæpius *honoratum* ſe a Veſpaſiano & filio Tito gloriatur, διὰ τιμῆς ἄγοντός με, *de vita ſua* p. 37 & *in fine.* Poſteriore ſenſu apud Sponium *Miſcellan.* p. 369. Lucius Septimius Tryphon memoratur ΤΕΙΜΗΘΕΙΣ ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ

ΜΑΡ-

ΜΑΡΚΟΥ ΑΥΡΗΛΙΟΥ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ, nec alio ſenſu Gruterus f. 1025. exhibet ΤΕΙΜΗΘΕΝΤΑ ΠΟΛΛΑΚΙΣ, & f. 491. ΤΕΙΜΗΘΕΝΤΑ ΕΝ ΕΚΚΛΗΣΙΑΙΣ, ut & Muratorius *Tom. 2. p. 569.* Ariſtides ſæpiſſime ab Imperatoribus Romanis *honoratum* ſe prædicat: quod variis modis factum, vel verbis vel litteris, immunitate conceſſa, vacatione, dignitate &c. digeſſit hæc omnia *in Collectaneis Hiſtoricis de Ariſtidis vita* accuratiſſimus Maſſonius. Nulla igitur cauſſa eſt, quare τιμηθέντα hoc loco conſtruendum ſit cum ſequenti συνάψαι, cum & ſine eo integer ſenſus & perfectus conſtet.

ΥΠΟ ΘΕΙΟΤΑΤΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ, *a diviniſſimo Imperatore*, male vertit van Dalen *a digniſſimo*: nempe non modo θειότατοι in lapidibus & nummis appellabantur Imperatores Romani, ut quoque in Marmore Oxonienſi p. 96. ΟΙ ΘΕΙΟΤΑΤΟΙ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΕΣ ΣΕΟΥΗΡΟΣ ΚΑΙ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ, verum etiam ΘΕΟΙ: nec vita ſolum functi, ſed viventes videntesque, ut de *Auguſto* id docuit Noris *Cenotaph. Piſan. Diſſert. I. cap. 4. p. 50.* Spanhemius *Tom. II. p. 489.* & ſeqq. Caracallæ inſcriptio extat apud Sponium *Miſcellan. p. 271.* *NUMINI PRÆSENTI.* Altius & audacius inſurrexit hominum male ſanorum adulatio. Extat in Theſauro Muratoriano *Tom. I. p. 219.* inſcriptio, quæ Cajum Julium Cæſarem prædicat ΘΕΟΝ ΕΠΙΦΑΝΗ ΚΑΙ ΚΟΙΝΟΝ ΤΟΥ ΑΝΘΡΩΠΙΝΟΥ ΒΙΟΥ ΣΩΤΗΡΑ. Hadriano ibidem ΕΛΕΥΘΕΡΙΩ ΟΛΥΜΠΙΩ ΔΙΙ inſcriptio facta p. 236. Caligulam au-

tem *Jovem* appellari voluiſſe, & quidem *Latialem*, ejusque habitum & inſignia ſibi arrogaſſe, notum eſt. vide Dionem Caſſium *Lib. 59. p. 660.* & Svetonium Caligula cap. 22. quem Vitellius Romæ *primus adorare, ut Deum inſtituit*, Idem *Vitellio* cap. 2. Plura de turpiſſima hac & conſcelerata adulatorum temeritate dixi in *Obſervat. meis ad Act. XXII. 22.* & dicam, Deo volente.

M. ΑΥΡ. ΣΕΟΥΗΡΟΥ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ *Marco Aurelio Severo Antonino Auguſto.* unde loco ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ Cl. Muratorius acceperit ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ non video, fortaſſe cum ΣΕΟΥΗΡΟΥ ſcriberet, de *Alexandro Severo* cogitavit. inſcriptio autem loquitur de Septimii Severi Filio Caracalla, qui patris etiam nomine inſignitus interdum apparet. Inſcriptio apud Muratorium *Tom. I.* p. 244.

ΤΟΝ ΜΕΓΙΣΤΟΝ ΚΑΙ ΑΝΙΚΗΤΟΝ
ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΚΑΙΣΑΡΑ
Μ. ΑΥΡΗΛΙΟΝ ΣΕΟΥΗΡΟΝ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΝ
ΑΥΓΟΥΣΤΟΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ

Ib. p. 247.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΚΑΙΣΑΡΑ Μ. ΑΥΡΗΛΙΟΝ
ΣΕΟΥΗΡΟΝ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΝ.

plures ibidem p. 248. 49. Apud Gruterum p. 267.

IMP. CAES. M. AUR. ANTONINO
SEVERO PIO AUG. FELICI
IMP. CAES. L. SEPTIMI SEVERI, ſc. Filio.

ΣΥΝΑ-

ΣΥΝΑΨΑΙ ΤΑΣ ΑΡΧΙΕΡΩΣΥΝΑΣ ΦΙΛΟΤΙΜΗΣΑΜΕΝΟΝ. Sic conſtruendum eſſe, & linguæ genius & rei ratio ſuadet. Participia φιλοτιμέμενος & φιλοτιμησάμενος cum infinitivis conſtruuntur. Plutarchus *Alcibiade* p. 206. φιλοτιμέμενος εὐθὺς ἐγκαλλωπίσασθαι τῷ Τισαφέρνῃ, *quum affectaret, illico oſtentare ſe Tiſſapherni, cum muneribus donisque & comitatu imperatorio ad eum contendit.* Diodorus Siculus *Lib. I.* p. 95. de Semiramide, φιλοτιμεμένη τῇ δόξῃ τὸν βεβασιλευκότα πρότερον ὑπερθέσθαι, *gloria deceſſorem regem ſuperare contendebat.* Sponius *Miſcellan. p. 343.* ΦΙΛΟΤΙΜΟΥΜΕΝΟΙΣ ΠΕΡΙΠΟΙΕΙΝ ΤΙ. In Marmoribus Oxonienſibus p. 76. φιλοτιμέμενος αὐτῷ συνδιατηρῆσαι καὶ συνέχειν τὰ πράγματα, ex *Smyrnæorum Decreto.* Paulus Apoſtolus Rom. XV. 30. Οὕτω δὲ φιλοτιμέμενον εὐαγγελίζεσθαι, ad quem locum plura *in Obſervationibus* attuli. Itaque Diadochus laudatur, quod præclare & magnifice utroque Pontificatu defungi connifus fuerit. Vidit eam conſtructionem van Dalen, vertens, *quod ſtuduerit injungere archieroſynas,* licet in eo vehementer fuerit lapſus, quod συνάψαι verterit *injungere.* Συνάπτειν eſt *conjungere.* Plutarchus *Alcibiade* p. 198. *Suaſit Patrenſibus,* τείχεσι μακροῖς ΣΥΝΑΨΑΙ τῇ θαλάσσῃ τὴν πόλιν, *longis muris jungerent mari urbem.* Idem *Lycurgo* p. 53. Τὴν ἀνδρείαν τῇ μεσικῇ ΣΥΝΑΠΤΕΙΝ, *fortitudinem cum muſica conjungere.* Cum hic igitur duplicis Pontificatus mentio fiat, συνάψαι τὰς ἀρχιερωσύνας aptiſſime ſignificabit, conjungere curas, labores & ſumtus utriusque pon-

tificatus, atque ſic utroque præclare & magnifice defungi, quod ſequentia clariſſime confirmant.

ΦΙΛΟΤΙΜΗΣΑΜΕΝΟΝ. Verbum φιλοτιμεῖν & φιλοτιμεῖσθαι hic non in genere ſignificat vehemens & enixum ſtudium quodcunque, ſed & id inprimis, quod cum largitionibus & liberalitate inſigni conjunctum eſt, ut recte contra Sponium docuit Perizonius *ad Ælianum Lib. III. cap. 1. p. 194.* quo ſenſu idem verbum etiam exſtat *Lib. IX. cap. 29.* & apud Ariſtidem *Serm. Sacr.* 2. p. 353. *Tom. I. edit. Oxon.* φιλοτιμίας θαυμαςὰς οἵας φιλοτιμήσοιτο ἀπὸ χρημάτων. Id. *Palinodia in Smyrnam* p. 268. φιλοτιμίαν κοινὴν φιλοτιμεῖται πρὸς τὴν πόλιν, minus recte vertitur *communi erga urbem contentione decertant.* Eodem ſenſu φιλοτιμία & φιλοτίμως apparet in inſcriptionibus. Apud Sponium *Miſcellan.* p. 336. ΕΠΑΙΝΕΣΑΙ – ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΝ – ΦΙΛΟΤΙΜΙΑΣ ΕΝΕΚΕ ΚΑΙ ΕΥΝΟΙΑΣ ΤΗΣ ΕΙΣ ΤΟΝ ΔΗΜΟΝ, ubi recte vertit Sponius, *laudare Apollodorum ob munificentiam & benevolentiam erga populum*, vide & p. 343. φιλοτίμως eodem ſenſu invenitur ibidem p. 357. ΤΑΣ – ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΑΣ ΤΗ ΠΑΤΡΙΔΙ ΦΙΛΟΤΙΜΩΣ ΚΑΙ ΑΥΘΑΙΡΕΤΩΣ ΕΚΤΕΛΕΣΑΝΤΟΣ, & in Novo Inſcriptionum Theſauro Muratorii *Tom.* 2. p. 546. ΦΙΛΟΤΙΜΩΣ ΚΑΙ ΜΕΓΑΛΟΠΡΕΠΩΣ ΕΚΤΕΛΟΥΝΤΑ, & p. 561. ΦΙΛΟΤΕΙΜΑΤΑ. in Reineſii *Syntagmate* p. 508. ΚΑΙ ΤΑC ΛΟΙΠΑC ΛΕΙΤΟΥΡΓΙΑC ΤΗ ΠΑΤΡΙΔΙ ΦΙΛΟΤΙΜΩΣ ΚΑΙ ΑΥΘΑΙΡΕΤΩC ΕΚΤΕΛΕCΑΝΤΟC. Eadem ſignificatione munus, quod

quod Patriarchæ Conſtantinopolitano a Græcis offerri ſolet, φιλότιμον adhuc appellatur, ut docui in *noviſſima mea deſcriptione Græcorum Chriſtianorum in Turcia* p. 30. Nempe *Pontificatus Aſiæ* obiri non poterat ſine multis & magnificis ſumtibus, qui in Ludos & Cæremonias expendendi erant, docente Philoſtrato *Lib. I. de Vitis Sophiſtarum* p. 515. & Inſcriptione ex Aphrodienſi marmore, cujus etiam ſupra memini, Cl. Gul. Sherard, prolata a Cl. Maſſonio *in Collectaneis ad Ariſtidem Hiſtoricis.*

